IANI PELVSII

CROTONIATAE

LVSVVM LIBRI *QVATVOR.*



NEAPOLI

Apud Io. de Boy. 1567.

FRANCISCVS CHRYSARIVS ad Ianum Peluſium.

IANE, Pindarico lyram ſororum
Plectro Caſtalidum mouens eburnam
Arpis aut Atheſi Aeſarum diſertis
Cantu cedere non ſinis fluenti,
Hoc quod ſentio de tuo libello eſt.
Dixi ſimpliciter, Dij Deæq;
Sic me ſemper ament, meam ſenectam
Et dent delicijs agam beatus.
Ergo quando Aganippides puellæ
Doctis inſideant tuis labellis,
Atticos patiere tot lepores,
Romanosq; ſales, facetiasq;
Et quot hinc Veneris fluunt iocoſæ,
Cæca nocte premi malignus? & non
Per docta potius manu virorum:
Cum Caluo & tenui ſuo Catullo?

IA. PELVSIVS CROT. AD LECTOREM.

QVot aër volucres, apes Hymettus,
Ver flores, mare monſtra, ſylua frondes,
Fur aſtus, meretrix dolos, calores
Aeſtas, nox tenebras, Scythæ ſagittas,
Autumnus pyra, nauitæ timores,
Cælum ſidera, bruma habet pruinas,
Curas & querimonias amantes:
Tot tibi bona dent amice lector
Dij magni, medioxumi, & puſilli
Si ſupercilij ſeueritate
Tota depoſita, hîc, & hîc, & illic
Ipſe legeris hunc meum libellum.

XANTHVS PELVSIVS CROTONIATA. Ad Ianum Peluſium fratrem

Quis piper e platano, quis fago carpſit amomũ?
Quisue vnquam legit cerea pruna rubo?
Vt nõ fert loliũ Narciſſos, lappa Amarãthos,
Sic nec malua roſas, nec lapathum violas:
Quid mirare tuas ſi Momus Iane Camœnas
Corrodit? coluber nil niſi virus habet.

PETRO PORTVCARE-RIO MAGISTRO EQVITVM.
Et Conſiliario Collaterali

IANVS PELVSIVS Crotoniata. S. D.

QVI ſuorum laborum, & vigiliarum monumenta Portucareri heros illuſtriſſime viris ſummæ auctoritatis, ſed nullius eruditionis nuncupant: tota via mihi errare videntur. Quid enim cum amaracino ſui? quid cum fidibus gracculo? Horum ego conſilium minimè ſequutus, cum potuiſſem meam mentis aciem ad multos præſtantiſſimos principes, quorum Italia eſt feraciſſima, appellere: te ſumma ſapientia, & ampliſſima dignitate virum, cui meas haſce ingenij primitias, iuuenilesq; luſus conſecrarem, potiſſimum delegi. Quod vt facerem, tuum ſummum ingenium, ſuauiſſimi mores, ſingularis probitas, atque eruditio non mediocriter me incitarunt. Quodq; huic rei de qua agitur, plurimum conducit, poëſeos ſtudia quibus vehementiſſimè delectaris, ne in ſummis quidem maximarum rerum occupationibus in-

termittis: neque ſolùm in his libenter, & multu te exerces, ſed eos etiam, qui in hæc diligentiſſimè incumbunt, atque aliquam huius doctrinæ laudem ſunt conſequuti, omni tua opera, ſtudio, & liberalitate proſequeris: nullumq; eos aut iuuandi, aut ornandi locum, occaſionemq; prætermittis Neminem conueni, (conuenio autē quotidie plurimos) quin tuam comitatem, benignitatem, bonarumq; diſciplinarum cognitionē ſummis laudibus ad cælum extollat. Non mirum eſt igitur ſi Paraphanus Riberius, Alchalanorum Dux, et huius Neapolitani regni præſes iuſtiſſimus non alienum à ſua dignitate putauit, ſi in conſilijs capiundis tua, non æquè ac olim Agamemnon regum rex Neſtoris opera vteretur. Non negauerim tamen eum ipſum Paraphanum ea quæ facit, ſuo iudicio, & ſua ſpōte facere, nec cuiusquā cōſilio egere. Etenim cui iā principi ſapitēia, animi magnitudine, literarūq; laude non ſe æquat? Cui iuſtitia, prudētia, & humanitate cedit? Cui primas vitæ integritatis, religionis, et ſanctimoniæ defert? Sed quando ad hunc laudandum Cicerone laudatore opus eſt, et ipſe verçor ne dicendo epiſtolæ limites transgrediar, te obſecro, & obteſtor, hos ingenioli noſtri fœtus ſummi amoris, & obſeruantiæ in te meæ non obſcurum argumentum

eo animo accipias, quo ab ipſo auctore mittuntur: eosq; tecum tandiu obſides habeas, quãdiu præſtantioris, laudatiorisq; conatus illud opus quod ego de bello Mauritano conſcripſi, in nomine & gratia tui Paraphani appareat: qui Vranum, & Marſalchabirum, quæ oppida a Cæſareæ Iuliæ rege potentiſſimo multis Scytharum, Numidarumq; millibus mari, terraq; vehementiſſimè oppugnabantur: grauiſſima obſidione liberauit. Ob quod inuictißimus rex noſter Philippus hæc illi accepta ſe referre prædicauit, & literis amantiſſimis ingentes gratias egit. Nos ipſi Neapoli præ gaudio citra cruorem quæſitæ victoriæ, lucentibus vndiq; pari interuallo interiectis luminibus, epinicia celebrauimus. Sed ne longius, latiusq; vagetur oratio: & nos aliquando receptui canamus: ſi hoc noſtrum munuſculum, quod inprimis ab ijs, qui benedicunt nunquam, quoniam maledicere ſemper didicere, defenſum velim, (vt ſpero, & opto) non aſpernaberis, meamq; ſpem tuo fauore, & patrocinio fruſtratus non fueris: longè præſtantiora poſthac aggrediar: illaq; deo bene iuuante, maiore cum laude perficere conabor. Vale Neapoli. Quinto cal. Auguſti.

AD EVNDEM.

Hoc Petre Iberæ gentis heros optime,
Noſtriq; ſecli gloria,
Oro ſerena fronte munus accipe,
Libens quod affero tibi:
Nec temne quamuis ſit puſillum: cælites
Non reſpuunt munuſcula
Breui daturi (dijs fauentibus) ſumus
Maius volumen in tui
Spem gratiæ Paraphani: ab hoſtium iugo
Qui liberauit vrbium
Vranum ocellum, & milites cuſtodiæ
Illic relictos: impij
Inſtar ferarum ſanguinem illorum biantibus
Mauri appetebant faucibus:
Et deuoraſſent, ni dediſſet illicò
Salutis ille copiam.
Ob quod Philippus Caroli inuicti genus
Perfuſus amplo gaudio eſt,
Defende Momi a peruicacia mali,
Nigroq; olentis Zoili,
Surgente Sole, & occidente cogita
De commodis Pelusij.

IANVS PELVSIVS CROTONIATA *Lectori. S. D.*

AIT quidam mea poëmata non eſſe digna, quæ a viris doctis legantur: paucorum verborum homo ſum; ſi qua habet ipſe meis meliora; prodeat in arenam, ea lege mecum certaturus, vt victus aut ſpongia deleat, aut proijciat in profluentem: victor aut ſponſionem vincat, aut Laurea donetur. Iudicem ego recuſo neminem, dummodo ſit vtroque noſtrum doctior: vereor enim ne Mida iudicante ſonorius Luſcinia canat Cuculus. Si hanc conditionem non eſt acceptur us, agat quæſo res ſuas, & deſinat maledicere: Nam ſi de me quæ voluerit dixerit: de ſe quæ noluerit audiet. Vale.

IANI PELVSII CROTONIATAE
Luſuum liber primus.

AETAS AVREA.

O ter quaterq; et amplius
Viri beati, in aurea
Aetate nati, quæ prius
Mortalibus tot commoda
Cunctis parata præbuit.
Vbique pax, belli timor
Nullus: Gradiuū vinculis
Arctis ligatum Tartarus
Tenebat: omnis omnia
Tellus ferebat omnibus
Non culta, ſponte ſed ſua
Lites, rapinæ, iurgia,
Discordiæ, moleſtiæ,
Iniuriæ, conuicia,
Graues cohortes febrium,
Doli mali veſtigia,
Et ſigna fraudis omnia
Plutonis ad cæcum Chaos,
Malaſq; in oras iuerant.
Nil imminebat a lupis
Ouilibus periculi:
Nec bos leones, vel truces

Timebat Hyrcanas feras.
Xilineas, & lineas,
Bombicinas, & ſericas
Telas in altis ſepibus
Araneæ nebant: oues,
Hirciq; olentis coniuges
Lanas habebant aureas.
Nil ſcorpius, nil vipera
Viris nocebant: noxium
Hydris venenum non erat.
Lyra ſciebant ſimiæ,
Saltare vulpes, & lupi:
Coruiq; cantus fundere
Quales olores candidi
Cum vertici neceſſitas
Clauos trabaleis iniicit.
Saturnus omnium deûm
Rex, & pater mortalium
Terras colebat, aureos
Mores docens; latronibus,
Adulteris, ſicariis
Nondum ſuas æquiſſimas
Leges rogarat: nouerat
Mæcharier nullus, nocens
Tractare nec ferrum manu,
Rapto aut rapina viuere.
Minerua, Iuno, Cypria,

Cupido cum volantibus
Nymphis iocis, & Gratijs
Vbique noctes & dies
Inflante Pane fiſtulam,
Cincti ſolebant tempora
Myrto choreas ducere.
Nemo ſub antro, aut arbore
Vitabat æſtus igneæ
Caniculæ, nec ad focum
Sciſſas reponens ilices,
Frigus Decembris horridi.
Benigna veris tempora
Vbique ſemper. ſi viam
Vorare forte quiſpiam
Volebat, eſſedum ſibi
Equusq; ſtratus præſto erat,
Quo Galliam, Germaniam
Adiret, aut Britanniam,
In hoſpitalem & Caucaſum.
Cum nox tenebras ſparſerat
Terris: lucernæ, & lampades
Per ſe paratæ, lumina
Cunctis dabant præſentibus.
Si de labore quis loqui
Auſus fuiſſet, protinus
Suo malo miſerrimus
Artus et oſſa plurimum

Palo dolatus fraxino,
Pœnas luebat vltimas.
Regebat omneis, qui magis
Erat ſopori deditus,
Siccare vel qui doctius
Sciebat absque iniuria
Plenum Lyæi poculum.
Aues ab agris, a mari
Piſces ſolebant ad focum
Venire recto tramite,
Se ipſos coquentes: poſtea
Cocti palatum abſtergere.
Pulchræ puellæ, candidæ,
Aetate florentes, roſis
Caput reuinctæ pluribus,
De parte quinta nectaris
Amoris implet quam parens,
Dulciſſimis cum baſijs
Vltrò dabant volentibus,
Matura poma ab arbore,
Nucesq; pendebant ſuper
Caput decoræ maximè
Autumno, & omni tempore,
Merces vehebant nauitæ
De parte nulla: nauitæ
Sulcare nondum nouerant
Aequor, nec aſtris fecerant

(Poſcebat vt res) nomina,
Vbique tunc mortalibus
Dij cuncta præſtabant bona
Immobiles, & mobiles
Res cuncta quæ fert optima
Tellus. erant communia.
Quis maſculus, quæ fœmina
Non hanc deorum dixerit
Vitam? benigni cælites
Cur hoc beato in ſeculo
Me non miſellum naſcier
Feciſtis, & mori ſimul?
Nulli domi tunc, vel foris
Erat neceſſe ſeruula,
Seruuſue diſcumbentibus
Qui diligens apponeret
Dapes: ad os nanque omnia
Cum quis vocabat, protinus
Elixa, frixa, ſeu magis
Vorare concupiuerat
Aſſata: per ſe fulminis
Alis volabant ocyus.
Inſtructa menſa ferculis
Paſcebat omnes: anſeres,
Turdi, palumbes, turtures,
Modo haud paratæ ſimplici,
Pingues papillæ ſuminis,

Tomacla bullientia,
Et cuncta pulmentaria,
Si tempus, aut res poſceret,
Ad os videres currere,
Vt ad farinam ſucculæ.
Locuſtæ, echini, murices,
Rhombi, ſpariq; & cetera
Sartaginis bellaria
Edi rogabant: veſperi,
Et mane fundebant merum
Chium, Falernum, Creticum,
Coum, Calenum, Lesbium,
Trullæ, dyotæ, & canthari,
Aptis pluebat calceis,
Factisq; veſtibus viris.
Sedentibus quibuslibet,
Nil falcis vſus, aut iugi,
Nec vomeris, nec ſeminis,
Raſtriue, quando flumina
Pulmenta cuncta pinguia,
Totamq; rem cibariam
Lac dulce, melq; Hymettium,
Nigrumq; ius edacibus
Aſſueuerant deuoluere.
Ac arbores pro frondibus
Et hædi, & agni viſcera,
Boumq; ventres, ac ſuum

Vuluas peramplas, ſuauiter
Odore fragranteis bono
Cunctis ferebant in locis.
Paſſim Sabinæ Lixulæ
Circunuolutæ caſeo
Stratæ iacebant in via.
Suos aſellos, & boues
Agaso de farcimine
Facta ligabat compede.
Fœcunda per papauera,
Myrtosq; pendebant aues,
Piscesq; cocti, & omnia
Menſæ ſecundæ munera.
Vino fluebant tunc lacus,
Fontes, & omnes optimo,
Placentulæ cum panibus,
Loligines, & oſtrea,
Aſſiq; ſargi, & polypi
De altis ruebant tegulis
Pedes ad omnium virûm
Ex ætheris cacumine
Decocta fruſta carnium,
Et cuncta quæ nos nutriunt.
Cibo pereſo, protinus
Surgebat alter. dolium
De nocte de die merum
Fundebat haurientibus.

Hæc vita felix, quæ locum
Adeſſe ſemper vult cibis,
Vt mala poſſit mandere,
Nummi repertus non erat
Vſus : quid vſus tunc opus
Illis erat pecuniæ?
Si cuncta quæ expetiuerant,
Erant parata ſingulis
Viris, vbique & fœminis?
Mutata nunc viuentibus
Eſt vita : ni victum tibi
Tuo labore quærites,
Die peribis ſeptimo.
Et te carina tranſuehet
Nulla mouendus victima,
Auriue fului pondere,
Ad alteram ripam Charon,
Non eſſe viuos iudico
Aetatis huius tam malæ
Nec maſculos, nec fœminas,
Sed mortuos, in corpore
Viuo ſepultos : conficit
Labor colonos : nauitæ
Iactantur in mari : necat
Mars milites : pecunia
Lyræ peritus indiget :
Videntur eſſe pauperes

Omnes auari: diuites
Deperditis ſunt moribus:
Scurræq; ventris gratia
Quiduis miſelli perferunt.
Alatus & cæcus puer
Amantibus negotium
Semper faceſſit: fœminæ
Aniculæ, puellulæ,
Cuiuslibet vel ordinis
Queruntur in moleſtijs
Vitam fluentem viuere.
Sophi, poëtæ, rhetores,
Et qui mendentur pharmacis,
Iuris periti, & ceteri
Bonis vacantes artibus,
Miſerrimi per Herculem
Sunt omnium viuentium,
Illis libelli, et litteræ
Vertere vitæ regulam.
Regum tributa exhauriunt
Quæ poſſides: vel incidens
Lis diſſipat: ſi nauigas
Eris vel eſca piſcibus,
Captiuus aut prædonibus:
Si pauper es, viues male:
Si diues a domeſticis.
Cæderis: ingreſſus viam

Te veſte nudabit latro.
Conſtans nihil ſit denique
Præter diebus ſingulis
Quod quiſpiam facit: bene
Viuamus ergo, et ſuauiter,
Menſam paratam quilibet
Auferre poſſet: dentium
Sunt firma quæ cuſtodia
Seruabimus præſentium.

DE AMORE

SI vis peritè fingere
Qui fingis e cera deum,
Aut de ſuperbo marmore,
Diſcenda diſce hęc artifex.
Alas Cupido non habet:
Habent amantes, quod leues
Sunt qui vacant amoribus.
Sunt plumbeæ, ſunt aureæ
Illi ſagittæ: pectora
Quod vulnerat mortalium.
Non cæcus eſt, ſed Lynceo
Acutius videt: carent
Amore capti lumine.
Eſt nudus, eſt idem puer,
Ne ſi quid unquam fecerit

Amoris æſtro ſaucius
Abſcondat: & quod non minus
Amator ac puer ſapit,
In dextera fert igneas
Faces, quod vrit omnia
Quæ ſunt vbique gentium.
Sed neſcio per cælites,
Quid ſit quod vna plurimas
Res ipſe forma poſſidet:
Virilis eſt audacia,
Infirmitas aniculæ,
Leonis acrimonia,
Et Dæmonis ſuperbia,
Stultum facit vecordia:
Mens ſana prudentiſſimum.

DE AMORIS POTENTIA.

Quis de poëtis carmine
Vires Amoris explicet?
In taurum, olorem, & aureum
Mutauit imbrem cælitum
Iouem parentem: Cypridos
Ad furta Martem compulit.
Neptunus arbiter maris,
Comaq; Phœbus aurea,
Et rex profundi Tartari
Flamma peruſti torrida,

Senſere quid ſit filius
Almæ Cytheres. Hercules
Tot monſtra quamuis ſtauerit
Claua trinodi, & iuerit
Ad Inferos, miſerrimus
Tamen tot annos verbera
Rixasq; Amoris pertulit,
Mundi Cupido gloria
Vicit deorum nuncium
Lingua potentem: Liberum
Ligauit arctis vinculis,
Nymphasq; Phorci nobiles
In ipso aduſſit æquore.
De melle nunc dat poculum,
Nunc de veneno Theſſalo
Amantibus, quos afficit
Nunc gaudijs, nunc lacrymis.
Caputq; vinctus floribus,
Cum matre pulchra, & Gratijs
Ducit choreas: aſpicit
De ſepe magnus Arcadum
Pan, & liqueſcit vt rigens
Nix Sole, cera aut ignibus.
Conualle poſt in proxima
Solatur igneis fiſtula.
Eſt aſper, eſt idem pius,
Vt tempus, & res poſtulat.

Omni pharetram tempore
Habet refertam ſpiculis,
Queis nos, deosq; vulnerat.
Volat proteruus pinnulis
Per orbis omneis angulos,
Suosq; Amores ſeminat
In masculis, & fœminis,
Et omnibus viuentibus.
Potentiorum limina
Regum, tabernas pauperum
Frequentat: & ſub ilice
Ferit ſagitta ruſticum:
In vrbe vero nobilem
Sæuis adurit ignibus.
Quæ gens in orbe barbara
Cui nota non ſit aurei
Cupidinis potentia?
Hunc turtures, hunc viperæ
Intelligunt, & ſentiunt:
In terra, in aſtris, in mari,
Potentior cæleſtibus,
Et Inferis dijs omnibus,
Regnat monarcha maximus.

AD IOVEM.

REplet colonus frugibus
Poſt tot labores horrea.

Iram furentis æquoris
Elapſus, & noti minas,
Portus potiri fructibus
Lætatur audax nauita.
Thynaq; merce patrios
Mercator ad Lares redit
Beatus: ad caulam gregem
Venire paſtor vbere
Pleno, triumphat gaudio.
Pomis, & vuis fertilis
Ridet Myconis vinea:
Hortisq; pingues, & boni
Iucunda cultori ſuo
Ferunt quotannis munera.
Soli mihi miſerrimo
Tranſacta luſtra quattuor
Fortaſſe ſunt, & amplius,
Arata tellus optimè,
Suoq; culta tempore,
Pro frugibus fert noxios
Vepres, labores, tædia,
Atque omne damnorum genus,
Vicina fructus prædia
Inculta tantos afferunt:
At noſtra culta pergraues
Moleſtias: ab ætheris

Ni depluat cacumine:
Vt cerno, ſemper ſic erit
Inutilis, caſſus labor,
Et vana ſpes. te Iuppiter
Oro benigno lumine
Hæc noſtra vota reſpice

AD PLACITVM Sangrium.

Sangri decus Neapolis
Qui primus ex pictoribus
Alas Amori tradidit:
Solum volucres pingere
Sciebat is: formam dei
Nec nouerat, nec viderat.
Ille eſt grauis plumbo magis,
Et non leuis: nam cui ſemel
Inſedit in præcordijs,
Nunquam recedit amplius.
Qui pictor ergo pinxerit?
Non eſt puella, nec puer,
Nec eſt deus, nec eſt homo,
Nec eſt ſciens, nec inſciens,
Et ſolus eſt hæc omnia.
Terras colit, non æthera:
Nam cum feriret cælites

Omnes ſagittis, & foret
Et arrogans, & inſolens,
Deiecit ad nos Iuppiter:
Et ne rediret ad deos,
Alas vtrasque ſuſtulit.

AD DIDACVM SCOVA-
ram Regis Philippi,
procuratorem.

Scoara ſi me videro
Ex his ſolutum litibus,
Quæ de viretis Virginum,
Hortisq; Phœbi, ad iurgia
Atque arma me trahunt fori:
Ni plus ocellis te meis,
Vitaq; amarim: protinus
Pater deorum Iuppiter
Qui cuncta nutu concutit,
Sua rubente dextera
Ad Ditis atri regiam
Me mittat, & cæcum Chaos.

AD ANTONIVM PICCOLVM

Antoni pater omnium leporum,
Quo non ſplendidior, benignior q;

Sub noſtro, aut alio ſub orbe quiſquam
Nunc eſt, aut fuit, aut erit per annos.
Cum Iani tibi debitas calendis
Non poſſem Meleagridas, nec albòs
Cycnos mittere, nec vetuſtiore
Spumantes pateras Opimiano:
Mitto verſiculos ineleganteis,
Non qui tendiculas ferant, vel hamos,
Vt mihi modo quidpiam remittas:
Sed quibus faciam fidem, probemq;
Me ſemper memorem tui, deosq;
Benignis precibus rogare ſemper,
Tibi millia multa dent bonorum
Et felix nimis & nimis beatus
Poſſis viuere Neſtoris ſenectam.

AD PAVLVM MANVTIVM.

SI mentes hominum meis mouere
Manuti decus omnium virorum
Quos Graiæ, & Latiæ tulere matres,
Poſſem carminibus: truces vt olim
Vates Threicius feras: Arion
Piſces: & lapides Lyræ canore
Amphion: ſtudia artium bonarum
Teſtor, & cineres mei parentis
Terra me ſine redditos Crotone:

Non piſces, lapides, feras, ſed ipſum
Paule te traherem libenter ad me,
Ad ſodalitium, meumq; amorem.
Hoc pluris facerem, potentiorum
Quàm ſi diuitias, opesq; regum
Noſtra ſcrinia clauderent, vel arcæ.
Nec mirum, quid enim poteſt amico
Tanto carius eſſe? vel quis vnquam
(Ni ſit tigride natus, aut Libyſſæ
Infans vbera ſuxerit Leænæ)
Non amicitiam, & tuum fauorem
Malit, munera quàm nitentis auri?
Si vis me facere ergo Dijs ſecundis
Felicem nimis, & nimis beatum,
Aſcribe in numerum, & gregem tuorum:
Ni te plus oculis meis amaro,
Et ni mi fueris meis medullis,
Ac dulci propè dulcior ſalute,
Fulmen ætherea domo triſulcum
In noſtrum iaciat caput rubente
Dextera pater omnium deorum.

AD IANVM CAESARIVM
Conſentinum præceptorem ſuum

C*Aeſari decus omnium virorum,*

Non horum modo quos Latina tellus,
Sed quos Græcia magna procreauit,
Olim Græcia magna, nunc deorum
Ira diruta triſtibus ruinis:
Quid ſeptemgemina Quirini in vrbe
Tot annos patria tua relicta,
Pangis carmina? quæ domi, forisq;
Certant diſcere Romuli nepotes:
Gallus, Theutonus, Italus, Britannus
Summis laudibus vsque ad aſtra tollunt.
Dum Crathis liquidas habebit vndas,
Et noſter fluet Aeſar in profundum,
Plenis vocibus hic, & hic, & illic
Cantabuntur ab hoc, & hoc, & illo.
Redi Pegaſeo ocyus volatu,
Ad tuam patriam, ad tuos Penates.
Te Conſentia, Brutijq; pagi,
Te Lacinia, te Crotoniatæ
Votis omnibus expetunt, vocantq;
Noctes atque dies. docere pubem
Si hic voles teneros tuos lepores:
Ad te diſcipuli hinc & hinc & illinc
Tanquam ad Oceanum elegantiarum
(Si credis mihi) confluent, vt olim
Magnum ad Pythagoram. labor docendi
Si fortaſſe grauabit: ad fluenta
Neæthi arbitrio tuo licebit

Verſu dicere nobiles puellas,
Quæ corpus vitreis lauant in vndis,
Aut deos ſibi ruſticos timentes,
Syla Brutia quos habet petulcos,
Nunc per floridulos vagantur agros,
Nunc in vmbriferis latent latebris.
Luſus interea meos ſerena
Fronte perlege: ſiquid oro in illis,
Erit docte & amabilis magiſter,
Quod minus ſapiat latinitatem,
Pro tua eximia eruditione,
Et ſumma ingenij benignitate,
In partem accipias bonam; rudisq;
Tui diſcipuli putabis eſſe:
Qui tantum tibi debeat neceſſe eſt:
Quantum filius optimo parenti.

AD DISCIPVLOS IOANNIS *Pauli Flauij*

Gaudete o iuuenes mei elegantes,
Conſpectu patris omnium leporum,
Cuius e lepidis fluit labellis
Melle dulcior Attico loquela:
Sit felix nimis, & nimis beata
Quæ talem genuit parens magiſtrum:
Qui vos rhetoricen, proboſq; mores

Doceret: ſapientia Crotone
Cives inſtituit meos vt olim
Magnus Panthoides. erit clienti
Defenſor bonus, & bonus patronus.
Panget verſiculos puer canoros,
Qui non inuideant Horatianis
Odis, aut elegis Tibullianis.
Nocturna iuuenes manu, & diurna
Exemplaria voluite, & libellos,
Dulce eſt diſcere Flauio magiſtro.
Vos ego interea, ſcholamq; veſtram
Canam ſub viridi arbuto: & Falerno
Triſteis ex animo fugabo curas.

AD ANTONIVM SEBASTIANVM Minturnum Crotoniatarum pontificem.

SIc me dij faciant pij beatum
Minturne Aonidum decus dearum,
Vt nullus ſitus imminentis æui
Dignos in medio legi theatro
Tollet aureolos tuos libellos:
Temne iudicium leuis popelli,
Nam libros Critici inuidiq; Momi
Qui carpunt veterum, & recentiorum,
Compeſcent digito ſuo labellum;

Quid domi vlterius latent, vt vrſa
In ſolis pariens locis catellos?
Occultent opici ſuos poëtæ
Verſus illepidos, & infacetos.
Tuis Pierides dabunt ſorores
Indelebile nomen, & perenne.

AD PETRVM PORTVCAREſium magiſtrum equitum, et Conſiliarium Collateralem.

PEtre præſidium meæ iuuentæ
Hunc ego tibi dedico libellum,
Et tibi meritò dico: patronum
De quot Itala terra procreauit,
Et Hiſpana creabit, aptiorem
Non ſanè inueniam mihi: tuere
Non a Vergilijs, Horatijsq;,
Qui pro viribus adiuuant poëtas:
Sed dico a Bauijsq; Meuijsq;,
Qui vatum monimenta, qui labores
Semper rodere geſtiunt. poëtas
Ipſe non minus ac tuos ocellos
Amas: nec minus ac ſuos ocellos
Ipſi te Petre diligunt poëtæ.
Id ſi feceris: hic meus libellus
Indelebilis vsque & vsque viuet:
Honoremq; tuum, tuasq; laudes,
Aeternum celebrabit hic & illic.

AD ALFONSVM SANCIVM iuniorem, Primarium Neapolitani regni Quæſtorem, & Conſiliarium Collateralem.

SAnci Preridum decus
Noctes atque dies tui
Mañes patris amabilis
Vrgebis querimonijs?
O per numen Apollinis
Tandem deſine, deſine
Fletum: flebilibus modis
Nullus ſurgit ab Inferis.
Cum te compulerit ſemel
Orco dira neceſſitas,
Non hinc te fauor ingeni,
Aut formæ eripiet nitor.
Aequis conditionibus
Cunctis inijciunt manus
Obſcuras animantibus
Parcæ: ſic placitum Ioui.
Et vita, atque oculis tibi
Longè carior occidit
Qui vixit genitor Pyli,
Atque annos Priami ſenis.
Virtus non valet emori,
Et quà Sol habitabiles

Gementium dearum
Languoribus pereſa,
Locos pererrat omnes.
Nullum miſella nati
Veſtigium videbis,
Nec vllus edet vnquam
Vbi ſuas latebras
Habeat tuus Cupido:
In corde nanque noſtro
Viuit ferox: amaris
Se nutriens querelis:
Hinc amouere dulcis
Solum poteſt Cicella.

AD DEVM.

Deus creator omnium rerum precor
  Tuum tuere ſeruulum:
Ne mœcha turpis, aut adulter improbus
  Perdat dolo, & mendacijs:
Ad te recurrit ceruus vt ſiti furens
  Ad dulcis vndæ riuulos:
Ex tot periclis libera miſerrimum,
  Illumq; ſemper reſpice.
Per ſola ſolus Alpium cacumina,
  Inoſpitalem & Caucaſum,
Ibit bacillo numinis nixus tui,

Nullum timens periculum:
Deſcende cælo ſumme rector cælitum
Dextramq, da: laudes tuas
In æde dicet mane ſiccus: veſperi
Cantabit hymnos ſobrius.

AD MAXIMILLAM.

PEctebat mea pulchra Maximilla
Auro perſimilẽ comã in feneſtrá,
Aſpexit puer aureus Cupido,
Et mox depoſita pharetra, & arcu,
Illuc aduolat: aureumq; cirrum
De flauo capite abſtulit puellæ,
Et me nexibus illigauit arctis:
Dixitq;, his abiens miſelle nodis
Annos excruciaberis trecentos:
Et tibi niſi Maximilla ſoluet
Formoſiſſima: nullus explicabit.

AD VINCENTIVM CORnelium Hoſtunienſium pontificem.

MIſiſti mihi caſeos rotundos,
Quos fecit manibus ſuis Apollo
Tunc cum depoſita dei figura

Pauit Aemathijs boues in agris.
Fragrant ambroſia, & ſuo ſapore
Irritant nimis, & nimis palatum:
In cella hos pueri remotiore
Seruabunt mihi clauibus trecentis,
Ne mus exiguus ſubire poſſit,
Et tam nectareis cibis fruatur,
Nullis legibus inſtitutus hæres.
Veſtinum ſibi caſeum nepotes
In menſis Saliaribus reponant.
Ego his delicijs deûm ſecundis
Cœnis inuideo minus. Tonantem
Precabor, caput vt queam videre
Cinctum purpureo tuum galero.
His pro muneribus tuum nepotem
Sermone erudiam vtriusque linguæ,
Et mores ſimul aureos docebo.

AD FABVLLVM.

Bonos ſodales, ſi Fabulle quæritas
 Tibi parare, ſuaſerim
Ex omnibus mortalibus ſolos tibi
 Scurras amicos feceris:
Hi ſemper adſunt, nutrientem diligunt,
 Tuasq; laudes prædicant:
Votis precantur omnibus feliciter

Res accidant ſemper tibi:
Si feceris conuicium, non læſeris,
Tollunt cachinnos ſed ſimul:
Omnem parati ſemper ad nutum tibi
Seruire ventris gratia.

DE FELICITATE ſcurrarum.

IN orbe nullus viuit ex mortalibus
Loquace ſcurra lætius:
Qui ſalſa ſulcant ſtagna Neptuni: vagi
Iram verentur æquoris.
Pictor laborat: ſemper indiget lyræ
Qui fila plectro percutit.
Acer periclis miles in multis iacet:
Labor colonos enecat:
Solers poëta verſibus timet ſuis
Theonis oris vulnera:
Expers laboris ſcurra ſolus omnium
Vt muſca cænis aduolat,
Edit, bibitq; ſemper abſque ſymbolo
In omnibus conuiuijs:
Eſt mira prorſus res, egenus omnium
Abundat omnibus tamen.

IA. PELVSII CROT. AD IVLIAM GONzagam,

SI captus auri muneribus retro
  Orci ſatelles trux veheret Charon
  Quos vincla Plutonis cohercent,
  Et Phlegethon prohibet redire.
Diues maritus, nobilis, & potens
  Donaret æris pro Hippolyte ſua,
  Pro filio quantum perempto
  Laomedontiades Achilli.
Si dura molles fata deûm preces,
  Aut fuſa noſtris lacryma de genis
  Molliret, ex triſti ſepulchro
  Surgeret hoc pretio redempta.
Sed quando nullum Tartareo ſpecu
  Gonzaga ſoluunt Eumenides feræ
  Pecunia, aut fletu: ferendum eſt
  Quod Stygio placuit tyranno.
Compeſce luctus, & querimonias,
  Ne quæ beatas incolit inſulas
  Neptem coronatam capillos
  Malobathro afficias dolore.
Cunctis rapaces iniicient manus
  Parcæ: paternis ædibus, & bonis
  Cedemus: & partas relictus
  Diuitias lacerabit hæres.

AD VINCENTIVM CORNELIVM Hoſtunienſium pontificem

Tandem relicta pontifex Neapoli
Ouile tendis ad tuum,
Ne dum per alta montium cacumina
Oues gregatim roscidas
Paſcuntur herbas, & virentes arbutos,
Lupis vorentur Appulis.
Beate grex trecenties, & amplius,
Cuſtode ſub fidiſſimo
Lux nulla, nulla lux olympo ab aureo
Illuxerit mortalibus,
Pinguiſſimis in paſcuis ſcientiæ
Quin dulce carpas pabulum.
Te propter vndas fluminum ſonantium,
Dum findet agros Sirius,
Seruabit: hærens ſedulus cuſtos tuum
Ad dexterum ſemper latus.
Ad ſepta paſtum te rubente Veſpero
Reducet: errantem ſua
Virga peruret, optimi fungens vice
Paſtoris, & boni patris:
Eia pudicæ fœminæ, viri integri
Læto ſonate carmine
Vrbeis, & agros: maximi nomen dei
Cantu viciſſim tollite;

Et ſupplices orate veſter pontifex
Vt viuat annos Neſtoris.
Sic vos creator omnium rerum deus
In omnibus locis iuuet:
Sedeisq; ducat ad beatas cœlitum,
Ad ſempiterna gaudia,

AD MANILIVM CAPVTVM.

CRuenta bella cantent
Qui Martis Arma curant:
Qui conſerunt nouales,
Optent habere tauros:
Sibi Midæ expeteſſant
Pecunias auari:
Et nauitæ Bootem,
Et plauſtra, & aſtra ſeruent:
Caputus at Cythere
Quem ſauciat ſagittis,
Canat libens amores.
Sunt neſcij bonorum
Qui præditas nitore
Mirabili puellas
Non diligunt. Cupido
Rex eſt deûm, & virorum:
Hæc qui negant pöetæ,
Non ſunt amici Amori.

AD MYRTIAM.

NOctes dieſq; telis
Me ſauciat Cupido,
At tu velut ferocis
Lac ſuxeris leænæ,
Meo dolore gaudes:
Cauſa eſt amore flagras
Turpiſſimi Myconis,
Heu me rudis bubulcus
Præſente me labella
Tenella, mollicella
Exugat? & decoras
Vt baſiet papillas?
Eia venite tigres
Ex intimis latebris,
Aut proximo vireto,
Et me (vt libet) vorate:
Nequeo hoc pati, & videre.

AD DOMINICVM PIZIMENTIVM Medicum, & Philoſophum.

DVm lectas puer immolo bidentes
Deis, ob reditum mei ſodalis
Ex ora Illyrica ad ſuos Penates,
Herum ſi quid amas tuum, libenter

Doceret: ſapientia Crotone
Ciues inſtituit meos vt olim
Magnus Panthoides. erit clienti
Defenſor bonus, & bonus patronus.
Panget verſiculos puer canoros,
Qui non inuideant Horatianis
Odis, aut elegis Tibullianis.
Nocturna iuuenes manu, & diurna
Exemplaria voluite, & libellos,
Dulce eſt diſcere Flauio magiſtro.
Vos ego interea, ſcholamq; veſtram
Canam ſub viridi arbuto: & Falerno
Triſteis ex animo fugabo curas.

AD ANTONIVM SEBASTIANVM Minturnum Crotoniatarum pontificem.

SIc me dij faciant pij beatum
Minturne Aonidum decus dearum,
Vt nullus ſitus imminentis æui
Dignos in medio legi theatro
Tollet aureolos tuos libellos:
Temne iudicium leuis popelli,
Nam libros Critici inuidiq; Momi
Qui carpunt veterum, & recentiorum,
Compeſcent digito ſuo labellum:

Quid domi vlterius latent, vt vrſa
In ſolis pariens locis catellos?
Occultent opici ſuos poëtæ
Verſus illepidos, & infacetos.
Tuis Pierides dabunt ſorores
Indelebile nomen, & perenne.

LVSVVM LIBER SECVNDVS.

AD PETRVM PORTVCARErium magiſtrum equitum, et Conſiliarium Collateralem.

PEtre præſidium meæ iuuentæ
Hunc ego tibi dedico libellum,
Et tibi meritò dico: patronum
De quot Itala terra procreauit,
Et Hiſpana creabit, aptiorem
Non ſanè inueniam mihi: tuere
Non a Vergiliĳs, Horatĳsq;,
Qui pro viribus adiuuant pòetas:
Sed dico a Bauĳsq; Meuĳsq;,
Qui vatum monimenta, qui labores
Semper rodere geſtiunt. pòetas
Ipſe non minus ac tuos ocellos
Amas: nec minus ac ſuos ocellos
Ipſi te Petre diligunt pòetæ.
Id ſi feceris: hic meus libellus
Indelebilis vſque & vſque viuet:
Honoremq; tuum, tuaſq; laudes,
Aeternum celebrabit hìc & illic.

AD ALFONSVM SANCIVM iuniorem, Primarium Neapolitani regni Quæſtorem, & Conſiliarium Collateralem.

SAnci Preridum decus
Noctes atque dies tui
Manes patris amabilis
Vrgebis querimonÿs?
O per numen Apollinis
Tandem deſine, deſine
Fletum: flebilibus modis
Nullus ſurgit ab Inferis.
Cum te compulerit ſemel
Orco dira neceſſitas,
Non hinc te fauor ingeni,
Aut formæ eripiet nitor.
Aequis conditionibus
Cunctis inÿciunt manus
Obſcuras animantibus
Parcæ: ſic placitum Ioui.
Et vita, atque oculis tibi
Longè carior occidit
Qui vixit genitor Pyli,
Atque annos Priami ſenis.
Virtus non valet emori,
Et quà Sol habitabiles

Illuſtrat radijs ſinus,
Indefeſſa per æthera
Pennis præpetibus volat.
Quid ſtultus genus inclytum,
Aut hoc tempore perdito
Quod non contigit omnib.
Dignam progeniem patre,
Notamq; Auſtriadis fidem
Tollam carmine regibus?
Quando iuſtitia, aut pudor
Quæſtorem inueniet parem?
Aut illi ſimilem virum
His ſeclis malè masculis
Matres Heſperiæ ferent?
Signis marmoreis erunt
Laus, & fama perennius,
Et legatio regia
Illi quod Venetos apud
Nomen conſpicuum dedit:
Nulla vnquam minuet dies.
Nunc in ſedibus aureis
Aſcriptus numero deûm,
Dulci nectare veſcitur,
Et cum coniuge candida
Vos ſupplex ter & amplius
Fratres vnanimes rogat,
Aeui tempus ad vltimum

Viuatis patria in domo:
Et ponatis inutiles
Queſtus, pectore ab intimo
Quos mœſti ad tumulum datis.

AMORIS FVGA.

DVm ſub virente myrto
Cum Gratijs Cythere
Et filio choreas
Ducit, canente Baccho
Ad barbitum canorum:
Puer aureus Cupido
Palam choros relinquit,
Et ocyus ſagittis
Magnam petens Crotonem,
Mihi recludit artus:
Inq; intimis meis ſe
Præcordijs recondit,
Vt vidit alma natum
Abijſſe mater, vngue
Lacerat ſuos capillos,
Et illicò volantibus
Pueris iubet: reuiſant
Cyprum, Gnidum, Cythera,
Ac abditos receſſus.
At ipſa cum caterua

Gementium dearum
Languoribus pereſa,
Locos pererrat omnes.
Nullum miſclla nati
Veſtigium videbis,
Nec vllus edet vnquam
Vbi ſuas latebras
Habeat tuus Cupido:
In corde nanque noſtro
Viuit ferox: amaris
Se nutriens querelis:
Hinc amouere dulcis
Solum poteſt Cicella.

AD DEVM.

Deus creator omnium rerum precor
Tuum tuere ſeruulum:
Ne mœcha turpis,aut adulter improbus
Perdat dolo, & mendacijs:
Ad te recurrit ceruus vt ſiti furens
Ad dulcis vndæ riuulos:
Ex tot periclis libera miſerrimum,
Illumq; ſemper reſpice.
Per ſola ſolus Alpium cacumina,
Inoſpitalem & Caucaſum,
Ibit bacillo numinis nixus tui,

Nullum timens periculum:
Deſcende cælo ſumme rector cælitum
Dextramq́, da: laudes tuas
In æde dicet mane ſiccus: veſperi
Cantabit hymnos ſobrius.

AD MAXIMILLAM.

PEctebat mea pulchra Maximilla
Auro perſimilē comā in feneſtrá,
Aſpexit puer aureus Cupido,
Et mox depoſita pharetra, & arcu,
Illuc aduolat: aureumq; cirrum
De flauo capite abſtulit puellæ,
Et me nexibus illigauit arctis:
Dixitq;, his abiens miſelle nodis
Annos excruciaberis trecentos:
Et tibi niſi Maximilla ſoluet
Formoſiſſima: nullus explicabit.

AD VINCENTIVM CORnelium Hoſtunienſium pontificem.

MIſiſti mihi caſeos rotundos,
Quos fecit manibus ſuis Apollo
Tunc cum depoſita dei figura

Pauit Aemathijs boues in agris.
Fragrant ambroſia, & ſuo ſapore
Irritant nimis, & nimis palatum:
In cella hos pueri remotiore
Seruabunt mihi clauibus trecentis,
Ne mus exiguus ſubire poſſit,
Et tam nectareis cibis fruatur,
Nullis legibus inſtitutus hæres.
Veſtinum ſibi caſeum nepotes
In menſis Saliaribus reponant.
Ego his delicijs deûm ſecundis
Cœnis inuideo minus. Tonantem
Precabor, caput vt queam videre
Cinctum purpureo tuum galero.
His pro muneribus tuum nepotem
Sermone erudiam vtriusque linguæ,
Et mores ſimul aureos docebo.

AD FABVLLVM.

BOnos ſodales, ſi Fabulle quæritas
Tibi parare, ſuaſerim
Ex omnibus mortalibus ſolos tibi
Scurras amicos feceris:
Hi ſemper adſunt, nutrientem diligunt,
Tuasq; laudes prædicant:
Votis precantur omnibus feliciter

Res accidant ſemper tibi:
Si feceris conuicium, non læſeris,
Tollunt cachinnos ſed ſimul:
Omnem parati ſemper ad nutum tibi
Seruire ventris gratia.

DE FELICITATE *ſcurrarum.*

IN orbe nullus viuit ex mortalibus
Loquace ſcurra lætius:
Qui ſalſa ſulcant ſtagna Neptuni: vagi
Iram verentur æquoris.
Pictor laborat: ſemper indiget lyræ
Qui fila plectro percutit.
Acer periclis miles in multis iacet:
Labor colonos enecat:
Solers poëta verſibus timet ſuis
Theonis oris vulnera:
Expers laboris ſcurra ſolus omnium
Vt muſca cænis aduolat,
Edit, bibitq; ſemper absque symbolo
In omnibus conuiuijs:
Eſt mira prorſus res, egenus omnium
Abundat omnibus tamen.

IA. PELVSII CROT. AD IVLIAM GONZagam,

SI captus auri muneribus retro
Orci ſatelles trux veheret Charon
Quos vincla Plutonis cohercent,
Et Phlegethon prohibet redire.
Diues maritus, nobilis, & potens
Donaret æris pro Hippolyte ſua,
Pro filio quantum perempto
Laomedontiades Achilli.
Si dura molles fata deûm preces,
Aut fuſa noſtris lacryma de genis
Molliret, ex triſti ſepulchro
Surgeret hoc pretio redempta.
Sed quando nullum Tartareo ſpecu
Gonzaga ſoluunt Eumenides feræ
Pecunia, aut fletu: ferendum eſt
Quod Stygio placuit tyranno.
Compeſce luctus, & querimonias,
Ne quæ beatas incolit inſulas
Neptem coronatam capillos
Malobathro afficias dolore.
Cunctis rapaces iniicient manus
Parcæ: paternis ædibus, & bonis
Cedemus: & partas relictus
Diuitias lacerabit hæres.

AD VINCENTIVM CORNELIVM
Hoſtunienſium pontificem

Tandem relicta pontifex Neapoli
Ouile tendis ad tuum,
Ne dum per alta montium cacumina
Oues gregatim roſcidas
Paſcuntur herbas, & virentes arbutos,
Lupis vorentur Appulis.
Beate grex trecenties, & amplius,
Cuſtode ſub fidiſſimo
Lux nulla, nulla lux olympo ab aureo
Illuxerit mortalibus,
Pinguiſſimis in paſcuis ſcientiæ
Quin dulce carpas pabulum.
Te propter vndas fluminum ſonantium,
Dum findet agros Sirius,
Seruabit: hærens ſedulus cuſtos tuum
Ad dexterum ſemper latus.
Ad ſepta paſtum te rubente Veſpero
Reducet: errantem ſua
Virga peruret, optimi fungens vice
Paſtoris, & boni patris:
Eia pudicæ fœminæ, viri integri
Læto ſonate carmine
Vrbeis, & agros: maximi nomen dei
Cantu viciſſim tollite;

Et ſupplices orate veſter pontifex
Vt viuat annos Neſtoris.
Sic vos creator omnium rerum deus
In omnibus locis iuuet:
Sedeisq; ducat ad beatas cœlitum,
Ad ſempiterna gaudia,

AD MANILIVM CAPVTVM.

CRuenta bella cantent
Qui Martis Arma curant:
Qui conſerunt nouales,
Optent habere tauros:
Sibi Midæ expeteſſant
Pecunias auari:
Et nauitæ Bootem,
Et plauſtra, & aſtra ſeruent:
Caputus at Cythere
Quem ſauciat ſagittis,
Canat libens amores.
Sunt nesciȷ bonorum
Qui præditas nitore
Mirabili puellas
Non diligunt. Cupido
Rex eſt deûm, & virorum:
Hæc qui negant poëtæ,
Non ſunt amici Amori.

AD MYRTIAM.

NOctes dieſq; telis
Me ſauciat Cupido,
At tu velut ferocis
Lac ſuxeris leænæ,
Meo dolore gaudes:
Cauſa eſt amore flagras
Turpiſſimi Myconis,
Heu me rudis bubulcus
Præſente me labella
Tenella, mollicella
Exugat? & decoras
Vt baſiet papillas?
Eia venite tigres
Ex intimis latebris,
Aut proximo vireto,
Et me (vt libet) vorate:
Nequeo hoc pati, & videre.

AD DOMINICVM PIZIMENTIVM Medicum, & Philoſophum.

DVm lectas puer immolo bidentes
Deis, ob reditum mei ſodalis
Ex ora Illyrica ad ſuos Penates,
Herum ſi quid amas tuum, libenter

Exorna rutilis caput corollis,
Non quas vere nouo volente Flora
Tulit Trinacris Enna, ſed beatum,
Empusæ memus, Aeſarisq; ripa:
Ac ſignans niueo diem lapillo
More Threicio: lyræ canoros
Ad neruos ſuper aſtra funde cantum:
Nulla ſit requies pedum, & bibendi
Magiſtrum ſtatue ebrioſiorem:
Poſt magiſterium patris Lyæi,
Pizimentius omnium virorum
His in temporibus tenebricóſis
Quos Calabria noſtra procreauit
Diſertiſſimus, elegantiarum
Lepore exhilarans ſuo propinquos,
Conuiuis referet locos, agellos,
Pagos, oppida, regna, nationes,
Multaq; oſcula diuidens amicis
Mihi plura dabit, memor iuuentæ
Actæ Cecropia in ſchola, & Latina.

AD ANTONIVM SEBASTIANVM
Minturnum Crotoniatarum
pontificem.

A*Deſte caſtæ fœminæ, viri integri*
Adeſte, nomen optimi

Dei per omneis Græciæ magnæ ſinus
Mecum ſonate carmine:
Et quàm poteſtis voce maxima illius
Laudes ad aſtra tollite:
Noſtras benignus aure non ſurda preces
Audiuit, ac nobis dedit
Virtute patrem talo ab imo ad verticem
Satis ſuperq; præditum:
Qui ſeu ſopore nox rigat mortalium
Artus labore languidos,
Seu Sol per oras ætheris volubili
Curſu nitentem fert diem,
Odit profanum vulgus, & pellit procul,
Nullis amicus fraudibus
Noctes dieſq; mente pura cogitat
Leges dei ſanctiſſimas,
Aut regis hymnos Dauidis ſub arbuto
Deducit ad Tuſcam Lyram,
Aut ad Latinum cantat ore barbitum
Vatum piorum carmina:
Suumq; ouile ſeruat omni tempore
Tutum luporum ab impetu:
Ergo queti vtranque in aurem poſſumus
Dormire, & iras hoſtium
Ridere: nam ſcuto ſuæ ſcientiæ
Repellet ictus, nec feret
Errare ab illa nos via, quæ ad atria
Ducit beata cælitum,

IA. PELVSII CROT.
AD PAVLVM MONACVM
Medicum, & Philoſophum.

CAndiſſime Paule amate tantum
Muſis Aoniis, patriq; Phœbo,
Quantum Penelope ſuo marito,
Aut pulchro Paridi Lacæna virgo,
Illi tergeminos petant honores,
Quos praua ambitio ſolet mouere:
Midæ diuitias, opesq; Crœſi
Qui regni diadema, vel tiaram
Votis omnibus expetunt: amantes
Vnguento niteant, roſisq; crines
Nectant: frugiferos agros coloni
Tercentum niueis arent iuuencis:
Et audax celeri vehat phaſelo
Merces nauita ab oppidis remotis.
Ipſe dum mihi fauerint potentes
Dij, fidos, lepidos, & eleganteis,
Claros ingenio, eruditione,
Laudatos ſatis, & ſatis probatos
Studebo mihi comparare amicos:
In quorum numerum, & gregem virorum
Si te non numerarier recuſas.
Paule, per cineres meorum auorum,
Per meum caput, & meos amores,
Mihi par Superis videbor eſſe,
Et beatior omnibus beatis.

AD VINCENTIVM CORNELIVM Hoſtunienſium pontificem

SI per diſcipulos, probosq; natos
Alfonſi mihi Sançij liceret
Hinc decedere pontifex beate,
Ad te Pegaſeo vcyor volatu
Cordis dimidium mei venirem.
Nam deſiderio tui videndi
Sic incredibili peruror: vt non
Vrat acrius Indiæ colonos
Aeſtus intolerabilis Leonis:
In mentem veniunt ſales, iociq;,
Elegantiæ, & allocutiones
Dignæ quas Zephyri ferant ad aures
Diuûm: ſi quid amas tuum ſodalem,
Dum te Mœnia detinent Phalanto
Regnata, & liquidis Galeſus vndis,
Scribe ſæpius oro: nil grauabor
(Ipſe ſi dabitur mihi,) libenter
Ad te ſcribere ſepties in hora,
Et non quæ referuntur hinc & illinc
De claſſe Othomani trucis tyranni,
Sed quid vnanimes agant amici,
Et tui ſocij, & mei ſodales.

IA. PELVS. CROT
AD IOANNEM BAPTISTAM
Arcutium Poetam, & Philoſophum.

ARcuti Aonidum decus
Quid fruſtra lacrymis ſollicitas tuæ
Manes matris ámabilis?
Et quid te nihilum proficientibus
Abſumis querimoniȷ̈s?
Oro triſtitiæ fige modum graui.
Fletus fœmineo gregi,
Ac de plebe homini conuenit, haud tibi
Vi fulto ſapientiæ.
Vt ſcis non obiȷ̈t, verum abiȷ̈t tua
Ad ſummos genetrix deos,
Liquit conſpicuum dotibus ingeni
Dignum te patre filium:
Ergo terribilis dum ſinit Atropos
Indulge Genio, & nouis
Matrem carminibus fer ſuper æthera:
Si cras hæc eadem volet,
Ieiunus piceos ibis ad Inferos.

AD FABRICIVM PIGNATEL-
lum Circlariȷ̈ Marchionem.

DEbet Græcia magna, Brutiȷ̈q;
Debent Fabricio Gradiui in arte

Laudato ſatis, & ſatis probato,
Quantum Triptolemo ſeges, Lyæo
Vites, atque oleæ deæ Mineruæ:
Qui nuper Latia phalange cinctus,
Hiſpanaq; manu, breui fugauit
Sic e finibus oppidisq; noſtris
Latrones nimis & nimis moleſtos
Immerentibus vrbibus, uirisq;,
Prædones Cilicas vt efferatos
E toto pelago, Italoq; cælo,
Olim militiæ, domiq; clarus
Pompeius. fera gens feroxq; miles
Intentans gladium, pharetram, & arcum
Minabatur ineptè, & impudenter,
Cædem ciuibus: ædibus ruinam:
Agris perniciem: puellulisq;
Stuprum, incendia, furta, & arma templis.
His in temporibus periculoſis
Pignatellus ab omnibus canendus
Doctis vatibus, imminens periclum
Nobis eripit, otioq; donat
Nos, & lætitia graueis dolores
Mutat illuuie hoſtium perempta:
Ergo Græcia magna, Brutijq,
Senes, & iuuenes quot eſtis omnes,
Cuncta hæc Fabricio ſimul referte
Accepta: & precibus Iouem rogate,
Vt illi bona multa det merenti,

AD FRANCISCVM VITALEM Præceptorem ſuum.

FRancisce Aonidum ſacer miniſter,
Si quid diſcipulum tuum, tuiq;
Amantiſſimum amas, meæ Camœnæ
Luſus illepidos, & infacetos
Oro perlege fronte, qua Catulli
Soles perlegere aureum libellum:
Aut ad Grathidis algidi fluenta,
Cum Canicula ſæuit, & colonos
Aeſtuoſa perurit. aut ad ignem
Cum cacumina montium pruina
Tegit Iuppiter horrido Decembri.
Si iuncto pede quidpiam, aut ſoluto
Dico, quod placeat viris diſertis,
Totum muneris hoc tui eſt, tuumq;
Quod ſpiro, & placeo viris diſertis,
Hoc in tempore tam tenebricoſo
Si tamen placeo viris diſertis.
Et dum Fabricij tui ſub vmbra
Res geſtas ſuper alta tollis aſtra,
Per tuam patriam, & tuos parentes,
Per tuum rogo Tullium, in loquendo
Qui tot dat Venreſq;, Gratiaſq;
Tibi, ne patiare me poëtæ
Cera Cærite digni, & huius æui

Ingens opprobrium, dicacitate
Oris intolerabili vſque & vſque
Appellent Bauiumq; Meuiumq;

AD CASTORIVM SORANVM.

CV tuos mihi muneri dediſti
Caſtori hendecaſyllabos iocoſos,
Erat mi male per deos, meumq;
Hinc atque hinc latus æſtuabat æſtu
Febris, vt ferus ignis in camino
Atro: nec medicus vocatus ad me
Sperabat bene de mea ſalute,
Per dulcis Genium meæ puellæ,
Per meum caput, et meam Crotonem,
Vt legi, procul & procul repente
Sic membris abijt labore feſſis
Languor, vt veniente Sole nubes.
O verſus lepidiſſimos, quid vnquam
Beatum magis, ac magis ſalubre
His fuit, vel erit? valete, abite
In crucem medici quot eſtis omnes,
Nam quod non potuiſtis arte Phœbi,
Et bonis medicaminum venenis,
Solis carminibus meus ſodalis
Soranus mihi præſtitit, frequenter
Sic ad me rogo ſcribe: nil timebo
Sic poſthac mihi febrium cohortes.

AD INDICVM ARAGONIVM
Cardinalem ampliſſimum
Antonius Piccolus.

PErſcripſi tibi multa de Meleto,
Reſponſi nihil, & nihil dediſti,
Euadas modo Pontifex, nec vnquam
Reſcribas mihi literam vel vnam.

NISA PINGITVR

AGe pictor in tabella
Qui pingis albicanteis
Forma bona puellas,
Per auream rogo te
Cupidinis parentem,
Mihi pinge ſic amicam,
Columbulam Diones,
Veneriſq; turturillam,
Vt ipſe te docebo.
Ex aureis arenis
Quas ferre diues Hermus
Solet, Taguſq; opacus,
Depingito capillos,
Artiſq; ſi magiſtra
Pictura fert, Sabæos
Spirent vagoſq; odores.

Sit frons eburna, qualis
Iunonis eſſe fertur.
Duplex ſupercili arcus
Nigreſcat hinc, & lllinc,
Vides vt illam habere.
Aſſurgat ipſe naſus,
Venuſtus vt Dianæ,
Fac fulgurent ocelli
Vt Vrſa, vel Boötes,
Vel ſtella Martis ardens.
Roſaq; de rubente,
Niueoq; de liguſtro
Genas vtraſq; pone.
Vincant niuem, geluq;
Rotundo in ore dentes.
Labella, mollicella,
Tenella, plena Suadæ:
Sic expeteſſo mentum
Molle vt ſit, & politum.
Collum volo niuale,
Teres vel vt Mineruæ,
Nitens vel vt Cytheres.
Pectuſq; quale marmor
Eſt in Paro, aut Hymetto,
In lacteis papillis,
Teneriſq; veſculiſq;,
Colluſitent iocantes

Charites, bonæq; Nymphæ.
Ne plura pinge Niſam
De Cypride, aut Minerua:
Aut Cyprida, & Mineruam
Niſa ex decente pinge.

AD IPSITILAM

Viuamus mea dulcis Ipſitilla,
Curas, ſollicitudines, & æſtus
Ventis in mare Caſpium ferendos
Demus, & ſolidos dies vtrique
Cincti tempora floribus ſub vmbra
Nato ad lætitiam mero luamus.
Si ver purpureum, breue, & ſuaue,
Quo ſpirant Zephyri tepentis auræ,
Nouoq; induitur colore tellus,
It, redit. ſemel vrna cum mouetur
Nobis ſerius ocyus: redimus
Diem ad iudicij. Ipſitilla quare
Dum tempus ſinit, & ſinit voluptas,
Et Cupidinis aurei Cythere,
Da mi baſia centies trecenta,
Deinde millia milles, & adde
Quæ vincant numerum Libyſſæ arenæ,
Cæli ſidera, & arborum minutas
Frondes, vimq; auium, ac virûm: labella

Succiplena, tenella, plena ſuadæ
Coniunge humidulis meis labellis,
Molles iungere ceu ſolent columbi,
Cum libidinis excitantur Oeſtro:
Ac verbis opus adiuua: teramus
Sic tempus balano comas peruncti:
Amorem tamen antea apprecati,
Cuius ſub ditione ſunt amantes,
Vt hæc gaudia, & oſculationes
Cum bona venia omnium virorum
Nobis perpetuò manere poſſint.

AD HIERONYMVM NOLAM Medicum Crotoniatam.

MVſę Pierides bonæ puellæ,
Quid ab quid voluiſtis immerentē
Veſtrum de medio improbante Phębo,
Ianum Tollere non malum poëtam?
Quid in vos potui loqui miſellus?
Aut cōmittere? tam malè, atque acerbè
Vt me Tartareis daretis vmbris?
Si meus nimis & nimis iuuabat
Vos morbi cruciatus, & dolores,
Non erat ſatis, ac ſatis ſuperque
Grauedo, & mala pituita naſi,
Anginam ſuper addidiſtis illam,

Illam gutture quæ mihi occupato,
Sic præcluſerat & viam, & meatum
Aegreſcenti animæ, miſer perirem
In hora ter vt & quater: tulit ſalutem
Sed nobis Hieronymus: creauit
Tam bonum medicum Croto illa: quondam
Vbi Panthoides bonus magiſter
Arteis perdocuit ſuam cateruam.
Dum voluet lapidoſus Aeſar vndas
Ad vdæ vada Thetyos, ſacerq;
Neæthus loca lamberit propinqua:
Verſu perficiam vsque, & vsque & vsque
Virtute, ingenio, eruditione
Non ſolum medicis recentis æui
Præſtet, Hippocrati, ſed & Galeno,

AD EVNDEM.

Ni ſcirem ſuperos benignitate
Sua pro merito virûm ſolere
Factis reddere dona digna, vitam
Putarem eſſe mihi grauem, atque acerbam,
Quod pares nequeam tibi referre
Grateis, poscit vt ipſa res. Tonantis
Musæ progenies Iouis poteſtis
Quæ polo in nitido viros locare
Doctis verſibus & laborioſis,

Pro me præmia ſoluite oro digna
Nolæ, temporis huius, & vetuſti
(Vt noui bene) principi medentum.
Anginæ cruciatus occuparat
Mihi tam malè guttur, atque iniquè
Vt quidam medicus putaret actum
De nobis: Hieronymus fidelis,
Et bonus medicus mihi parauit
Miſſo ſanguine pharmacum; ſalutem
Quod tulit mihi protinus: trecentos
Viuas o vtinam benè & beatè
Annos (ni licet vt tibi videre)
Eſſem (ſic voluere dij potentes)
Tanto peſſimus omnium pöeta,
Quanto ipſe optimus omnium medentum,
Meæ præſidium, & decus iuuentæ
Te cælo inſererem meis Camœnis.

IN GRYLLVM IMPERITVM Ludi magiſtrum.

GRylle barbare, Grylle barbarorum
Doctor barbariæ, quid immerenteis,
Puros, aureolos, & integellos
Perdis tam malè pupulos puſillos
Vrbis Parthenopes, inelegantis
Linguæ barbarica inſtitutione,

Ac fœda illuuie infacetiarum?
Cum ſchola in media truci boatu
Dictans verbula ſumpta & hinc, & illinc,
Necas efferus hos, & hos, & illos.
Quin duros potius boues, vel ipſos
In præſepibus edoces aſellos?
Vbi ſesquiaſini tui parentes
Cum dulci Larium ioco, & cachinno
Ductant tardigradas ſuas aſellas.
Quid illud? ſcelus, ah ſcelus nefandum?
Iidem noctibus, & diebus ijdem
Gliſcunt furfure, grunniunt, ſubantq;
Sues more ſuum: miſerrimorum
Ni miſerrime protinus recurris
Ad ſubſellia ſabbathariorum,
A quibus fugitiue ſemimaure
Ad nos alite fugeras ſiniſtra,
Perditiſſime perditiſſimorum
Grylle peſſime, tergimerde Grylle
Non te quadrupedem ad focum coquinæ
Conſtrictum rapiam ad veru rotandum:
Sed te carmine contumelioſo
Quod vates bene nominant Iambum,
Spurcam præcipitem dabo in latrinam.

IN CLOACVM.

I *Procul, procul hinc abi Cloace,*

Doctor barbariæ, luesq; pubis
Quam tu Parthenope doces magiſter
Indoctiſſimus omnium: ſceleſte
Quid meas legis impudenter odas?
Non ſcripſi tibi, ſed uiris politis
Bonis artibus, aureaq; vita.
Sic te ſic iuuat in bonos poëtas
Virus fundere triſtius dracone,
Hydra, vipera, & Attica cicuta?
Mera inſantia, & infacetiarum
Merum rus, ſatyra graui, atque Iambo,
(Ni iam deſinis eſſe tam moleſtus
Carptor, inuidus, & calumniator,)
Errorum ſegetem breui tuorum
Non leui hendecaſyllabo notabo.
Qua ſuperſtitione, qua requiris
Noua relligione litterator
In versu Ciceronis eleganteis
Dicendi Veneres, Cupidinesq;?
Cum iuncto pede ſcribimus, Maronis
Non liber Ciceronis exprimendus.
Quis vnquam legit e viris diſertis
Tuos verſiculos, cacationes,
Quos non continuò nimis cachinnans
Scombris dixerit eſſe, vel ſiluris
Dignos tegmina qui induant: & aptos
In ſpurca, atque olida quibus latrina

Sophiſtæ, Criticiq; Zoiliq;
Abſtergant ſibi podicem cacantes.
Ergo perfide, contumax, & hoſtis
Aequitatis, & omnium bonorum,
Ni ad frugem redeas bonam, & repentè
Compeſcas digito tuo labellum,
Diſces per ſuperos tuo periclo
Quid ſit lædere Apollinis miniſtros.

AD IPSITILLAM.

SI tuos oculos duos minutos
Soles, non oculos, mea Ipſitilla
Puella haud lepida, haud venuſta virgo,
Ipſe ſed lepor, ipſa ſed venuſtas,
Poſſem non ſemel ore ſuauiari:
Eſſem quot Iouis incolunt olympum
Et felicior, & beatior dys.
Si labella tenella, plena Suadæ,
Non labella tenella, plena Suadæ,
Sed corallia mollia in lapillis
Albis, noĉticulas diecŭlasq;
Poſſem ſugere, ſugit vt papillas
Suæ candidulæ puer parentis,
Per te delicias meas, meumq;
Cor & ſuauiolum, hîc, & hîc, & illic
Beatiſſimus omnium perirem.

IN QVENDAM.

QVi furtim laceras meas Camœnas
Canis, quàm potes allatra: latratus
Me tuus mouet, vt ſolet mouère
Mugitus vitulæ ferum Leonem.
Quid ringis? nihil & nihil laboro
Nomen ſcire tuum, ſatis ſuperq;
Tuum iudicium arguit, probatq;,
Eſſe te ſtupidumq;, plumbeumq;.
Nunc plaudo mihi, nunc mihi triumpho,
Quod ſordent tibi, quod tibi improbantur
Mei verſiculi, mei labores.
Cæcus non bene iudicat colores,
Nec Solis radios ſuis ocellis
Fert bubo: mihi ſufficit perita
Quòd me Parthenope legit, canitq;
Docta Mantua, Romuli nepotes,
Potor Aesaris, & ſacri Neæthi.

AD IOANNEM ANTONIVM
Piſanum Medicum, &
Philoſophum.

PIſane optime, & omnium medentum
Noſtri gloria ſeculi; ſodali
(Nam potes) fer opem tuo, coruſcus

Alterna vice qui polum nitentem
Metitur, tibi Phœbus indicauit
Herbæ quidquid habent boni virentes,
Et quidquid vario dolore preſſis
Succi Pæonij ferunt ſalutis.
Nec Ceres mihi, nec ſapit Lyæus,
Nec ſomnum capere in toro ſupinus
Poſſum, haud in faciem cubans ſub vmbra,
Nunc miſer Scythica niue, & pruina
Fio frigidior, calentior nunc
Quàm vel Trinacris Aetna, vel Veſeuus,
Debacchante Noto, vel hîc, vel illic
Cum ruptis furit æſtus in caminis.
Vnde tot gemitus, moleſtiæq;
Naſcantur mihi forte ſi requiris,
Illa Myrtia, Myrtia illa, ab ore
Quæ ſpirat Veneres, Cupidinesq;,
Ac me ſurripuit mihi, meisq;
In venis reſidet nitens, ſed ipso
Ferro dura magis, magisq; ſaxo
Hymettus quod habet, quod habet Cariſtos
Dura: tot gemitus, moleſtiasq;
Facit, ſollicitudines, & æſtus.
Quare ni medica manu valentem
Tu me reddideris mihi: peribo
Ipse tam cito, quàm ſolet perire
Flos ſucciſus odorus in vireto.

AD IVLIVM ANTONIVM SANCTOrium Seuerinatum Archiepiscopum.

PAſtor fidelis dum gregem paſces tuum
Vberrimis in paſcuis,
Aut prata propter fluminum ſonantium,
Illi boni deerit nihil:
Nam mane veſperiq; dulci nutries
Cibo tuæ ſcientiæ,
Errare te cuſtode nec poteſt via,
Quæ ducit ad domum dei:
Tueris illum ſedulus toto die,
Arcens procul periculum.
Ergo pudicæ virgines, pueri integri
Quot eſtis omnes, ſupplices
Deum rogate ſepties, & amplius
Vt longa viuat ſecula
Benè, & beatè, deinde paſtor Iulius
In tecta ſcandat cælitum.

AD IACOBVM GALLVM iuriſconſultum.

SIc te candide Galle dij, deæq;
Omni tempore ſoſpitent, iuuentq;
Fandi copia, & eruditione:
Quidquid hîc iuuenum elegantiorum,

Studet Pontificisq; Cæſarisq;
Iuri, non modicum tibi fatetur
Se debere, quòd aptè, & eleganter,
Sic ænigmata ſoluis e cathedra
Legum: difficilè & laborioſè
Vt que vix paterant viri eruditi
Ante intelligere abnegante Phœbo:
Nunc ſic percipiunt ineruditi,
Vt nihil meliusq;, apertiusq;
Iidem percipiant. tuo labori
Ergo nunc meritò iuuenculi omnes
Debent, & precibus Iouem fatigant,
Vt grates tibi maximas rependant.

AD ALOISIVM SANCIVM

O Felix ter & amplius
Sanci, qui e gremio Pauſilypi procul,
Surrenti Aonij chori
Cantas auxilio carmina: quæ ſacer
Sebethus ſtupeat: pater
Miretur Tyberis: Mincij, & Aufidi
Dulces inuideant aquæ.
Hæc propter ſuperis dijs age gratias,
Et ſortem miſerans meam,
Conſolare tuum mitis amiculum:
Qui auulſus patriæ ſinu,

Bis denas hyemes tot mala perfero,
Quot vix Herculeus labor
Ferret, vel potius robur Atlanticum.

AD CIARLETTAM CARACCIOLVM.

DEos per omnes & deas ſupplex rogo,
Honore ne fraudes tuam
Neapolim: quæcunque de Republica
Diuûm fauente numine
Scripſiſti in antro, in quo poëta candidus
Vraniam ſcripſit ſuam
Pontanus olim, ſubdere vt prælo velis
Ad ciuitatum commoda.
Ne tu moreris amplius tantum bonum,
Aetas monet te lubrica.
Si feceris, te nobilis Siren tua,
Et omne longiquum oppidum
Laudabit: vt Platona quondam Græcia,
Et tota tellus Attica.

AD IOANNEM PAVLVM Vernaleonem.

QVando Vernaleo tuos lepores
Hyblæo mihi melle dulciores
Graio carmine tollis, & Latino

Per te: non uideo a tuo ſodali
Quid tam perpete flagitatione
Petas quotidie, meis Camœnis
Vt illos recinam: ſatis pudenter
Dicam cum venia, tuaq; pace,
Hoc eſt (dicere quod ſolemus omnes)
Latonæ dare filio nitorem,
Ligna vel nemori, mariq; lymphas

AD CONSTANTIVM Sebaſtianum Oliuetani inſtituti Sacerdotem.

Somno & deſidia potens podagra
Quæ laſſi pedibus ſenis peracreis
Ictus incutis: & dolore ſummo
Torſiſti nimium meum ſodalem,
Aut ad Cimmerias abi tenebras,
Eſt vbi ſopor, & comes ſoporis
Torpor, deliciæ tuæ, iociq;:
Aut ſegnes pete deſidesq; vates,
Quos Venus iuuat, et iuuat Lyæus
Senex triſtitia graui ſolutus,
In cella ſcieti remotiore
Verſus & lepidos, & eleganteis,
Quos miſtæ pueris canant puellæ,
Cum poſcent aliquid Iouem Tonantem:

AD IOANNEM ANDREAM NOlam Medicum, & Philoſophum.

LVgete o lepidi mei ſodales,
Et veſtros lacrymis rigate ocellos,
Andreas petijt ſuos Penates,
Qui me dulciloqua allocutione,
Romano ſale, & Attico lepore,
Omni triſtitia graui leuabat.
Nil iuuat uiridi iacere in herba,
Aut ſupplex teneras vocare Muſas,
Nam ſic indomito dolore verſor:
Caram vt diſpliceat videre lucem.
Quare te rogo per tuos parentes,
Per tuum caput, & tuos amores,
Vt ſolatiolum mihi remittas,
Quod curas animi fugare poſſit,
Et me ſollicita leuare pœna.

AD IO. BERARDINVM LONgum medicum Theologum, & Philoſophum.

LOnge cui medicæ repertor artis
Apollo dedit imminente ab Orco
Aegros eripere: & fugare morbos
Qui viros faciunt minus valenteis,

Non ad Cimmerias domos: ſed oræ
Ad antrum Stygiæ tenebricoſum.
Te rogo ter, & amplius; ſeuero
Ne ſupercilio legas Camœnæ
Noſtræ nec lepidæ, nec elegantis
Luſus: dum facis hoc, ſeueriores
Intermitte aliquantulum Galeni,
Et tui Hippocratis libros: ego ipſe
Per Phœbum, tibi filiumq; Phœbi
Iuro, & per patriam meam Crotonem,
Si mihi Aoniæ dabunt puellæ
Vt nimis breuis hic meus libellus
Viuat innumerabiles per annos
Verſu perficiam, ipſe cum libello
Vt viuas totidem meo per annos.

AD HADRIANVM GVLIELMVM.

Dent tibi bona mille dij, deæq;
Et tot millia millies bonorum
Docte, & care ſodalis Hadriane,
Olim millia multa baſiorum
Suo Lesbia quot dedit Catullo:
Pro tua eximia benignitate,
Sanctis moribus, integraq; vita,
Quidquid eſt hominum eruditiorum.
Quod velit iuuenes docere linguam

Aut Græcam, aut Latiam, bonoſq; mores,
Foues, diligis, & tueris, ipſum
Vt eſſet tibi filius, nepoſue.
Perge ſic releuare litteratos,
Nam Phæbus pater, & Minerua mater
Qui iuuant ſtudia artium bonarum,
Tuenturq; homines politiores,
Dabunt innumerabiles per annos
Tuus viuat honos, tuæq; laudes,
Et grates referent tibi, vt mereris.

AD IVLIVM CVRTIVM

AVdiuere tuas preces Iuli
Diſertiſſime cælites potentes
Ipſa in Parthenope doces virorum
Natos nobilium tuos lepores,
Quibus (cum venia elegantiorum)
Cedunt Pierij chori lepores.
Vix lanugine veſtiet iuuenta
Mollis ora: videbimus tenellam
Pubem diſcere quidquid elegantes
Habent Vergiliuſq;, Tulliuſq;
Sermonis duo principes Latini.
Iam creſcent pueri, boniq; mores

Creſcent, creſcet honos, tuæq; laudes
Creſcent: ingenijq; fama nomen
Tuum præferet artium magiſtris,
Quot hic diſcipulis ſuis pöetas
Legunt, Gramaticoſq; ,Rhetoraſq;.

IANI PELVSII CROTONIATAE.

LVSVVM LIBER TERTIVS.

AD PETRVM PORTVCA-

RERIVM MAGISTRVM
Equitum & Conſiliarium
Collateralem.

EMitto auſpicijs tuis libellum
Hunc meum Petre, ſi patronus illi
Eris, reſpuit aduocatum habere
Phæbum: quid mihi Phæbus? ipse Phæbus
Es mihi: mihi ſi patronus eſſe
Voles: ſpes mea vana ne ſit oro.

AD VINCENTIVM CORNELIVM
Hoſtunienſium Pontificem

POntifex Indos aditure mecum,
Naufragas Syrteis, Arabasq; molles,
Et feros toto penitus remotos
Orbe Britannos,
Ne mihi ſeptemgeminos potentis
Romuli colles, & amica Muſis
Rura Sebethi memores, vel vdi
Tyburis arces,
Nullus in terris ſaturo Tarento

Gratior nobis locus: hîc refulgent
Clarius Soles, Zephyriq; ſpirant
Mollius auræ:
Hîc ſuum Proteus pecus omne paſcit
Sub mari terræ nimium propinquo:
Vua non cedit vetulo Falerno,
Mel nec Hymetto,
Hicq; Franciſco docili iuuentæ
Dante ſermones vtriusque linguæ,
Angulus ridet magis, ac magis te
Præſide fulget,

AD IANAM COLVMNAM

Siqua Naturæ bona liberalis
Cuncta in hoc mundo fuit aſſecuta:
Vna de multis mihi tu videris
Iana Columna.
Frontis admiror niueum colorem,
Laudo flammanteis geminos ocellos:
Vnde cum pulchra genitrice ſumit
Tela Cupido.
Explicas auro ſimiles capillos,
In tuis ſemper reſidet labellis
Illa quæ quondam fuerat diſerti
Suada Periclis.
Si decus formæ tibi comparetur

Et quod hæc ætas tulit, & vetuſta,
Cederet tantum tibi : pura quantum
Sidera Soli.
Quid prius dicam genus, an triumphos
A tuis partos patribus per orbem?
Hoſte deuicto an poſita hic, & illic
Clara trophæa?
Quandiu Tybris fluet in profundum
Aequor : & molles dabit Hybla flores :
Tandiu viuent ſerie per annos
Geſta tuorum.
Quis tui dotes animi, quis vnquam
Corporis poſſet bona tot referre
Graius, aut terra genitus Latina
Carmine vates?
Adſit huic quamuis Iouis alta proles
Clio, & argutæ citharæ repertor
Suggerat vires, animumq; Phœbus
Suaue canenti
Pendeat plena ex humeris pharetra,
Corneos arcus capiat ſiniſtra,
Dextra Getulos feriat leones
Delia fies.
Pinge acu telam varijs figuris,
Aut colo ſtamen minue, & & Tonantis
Mox eris magni genita e cerebro
Glauca Minerua.

Motibus gaudens lepidis Ionum,
Ad lyram nudo pede pelle terram:
Vna diceris Charitum, vel ipſa
Mater Amoris.
Iuno tu certè capiens pudicæ
Virginis formam, petijſti ab alto
Aethere has oras, decorata multo
Membra decore.
Quà moues plantas, humus ipſa veris
Fert decus, tecum comes it Cupido,
Luſitat circum comitata Nymphis
Alma Cythere.
Vt queunt omnes oculis videre,
Inter inſigni facie puellas
Enites, noctu velut inter igneis
Luna minores.
Forma decreſcit reliquis puellis,
Semper occulto tua creſcit æuo,
Fagus in syluis, vel vt alta lætis
Pinus in hortis.
Sed tuas quando mea Muſa laudes
Nec poteſt famam celebrare cantu,
Nomen & canæ modulis ſacrare
Poſteritati:
Quæ deæ Pindi colitis receſſus,
Phocidosq; vndis gelidis lauatis
Membra: vos oro ſuper alta cæli
Sidera ferte.

AD PETRVM BARZIVM Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis legatum.

BRuma quæ gyro breuiore nobis
Clauſerat ſoles mala, præteriuit;
Frigus & ſecum Boreale dirum
Traxit ad Orcum.
Veris afflatu tepefacta tellus,
Hinc & hinc pictos vario colore
Suggerit flores: Zephyri relaxant
Mollius auras.
Iam nouis omnis reparatur arbor
Frondibus: rident facie vireta
Altera: cycni modulatione
Aera mulcent:
It per herbosos Venus alma campos,
Paſſibus matrem paribus Cupido
Aequat, intento iaciens ab arcu
Ignea tela:
Obuiam Zonis Charites ſolutis
Prodeunt illis, Iocus & Voluptas
Luſitant circum, quatiuntq; nudo
Ter pede terram:
Sentiunt ictus iuuenes, ſenesq;:
In vagam pronæ Venerem feruntur

Belluæ: nidos faciunt ſub alta
Rupe volucres.
Nunc ſuas Fauni, Satyriq; Nymphas
Aut ad Empuſæ nemus, aut virentem
Aeſaris ripam ſtimulante Amore,
Voce ſalutant.
Stratus ad riuum ſalientis vndæ
Pan amans amens, reſonare cantum
Edocet ſyluas: Dryades ad auras
Carmina fundunt.
Muneri mittunt pueri puellis
Flore contextas vario corollas,
Et nemus gaudent habitare opacum
Vrbe relicta.
Nauitæ ventis ſinuoſa pandunt
Infero in ponto, Superoq; vela,
Repleant Maiæ geniti vt fauore
Merce Penates.
Paſtor abrupto recubans ſub antro,
Sicut in lecto Tyria decoro
Purpura: intendit calamos, ſuosq;
Cantat amores.
Saxa reſpondent procul: e propinquis
Paſcuis lætæ veniunt capellæ,
Conuolant miſti vitulis iuuenci,
Et pecus omne.
Ipſe dum quæro procul a Crotone

Dona virtutis Latiæ Mineruæ,
Quid prius quàm te recinam, feramq;
Carmine ad aſtra?
Huc ades mater Cytherea Amorum,
Et lyram donec digitis canoram
Tangimus, flammis iecur æſtuoſis
Parce cremari:
Solue cor vinctum validis catenis
Myrtiæ pulchræ fateor, ſed vrsæ
In ſuum me me miſerum furentis
More, modoq;:
O deûm ſummo Ioue digna virgo,
Tam graueis iras moderare: de me
Oro ſic triſteis furiata noli
Sumere pœnas.
Cuncta Fortunæ bona, cuncta mentis,
Corporis cuncta & bene conſtituti
Sunt tibi, diuos rogo ſint trecentos
Petre per annos.
Ortus es claris atauis, tuaq;
Rex Sigismundus bonitate fretus,
Multa commiſit tibi agenda magni
Plena negoti:
In quibus virtus tua ſic nitescit,
Inter vt ſtellas ſoror alta Phæbi,
Semper & iuſtus, ſapiens, bonusq;
Eſſe videris.

I A. PELVS. CROT.

Natus ad laudes meritos honores
Mentis eſt candor tuus aſſequutus,
Et tulit magnis patriæ in periclis
Sæpe ſalutem:
Tu facis pluris iuuenes bonarum
Artium doctos, radiantis auri
Quàm graueis lamnas,nitidasq; arenas
Quas vehit Hermus:
Te ſuis vlnis tenuere diuæ,
Quæ colunt gratas Heliconis vmbras:
Et tibi ſacros latices dederunt
Ritè bibendos.
Nunc ſacer vates canis ore carmen,
Quale vix vnquam cecinit ſuperbus
Pindarus Flacco lyrica poëſi
Maior, & auſis
Quem ſemel tolles fidibus canoris,
Viuet æternum, Libitina famam
Illius nunquam Stygiæ paludis
Merget in vnda:
Nam tui dulces numeri legentur
A viris doctis, fluuius Neæthus
Donec hyberno tumefactus imbre
Curret in æquor.
Interim noſtræ cape parua Muſæ
Munera hæc ſupplex rogo perlibenter,
Vt ſoles ſemper capere inclytorum
Carmina vatum.

AD IOANNEM BAPTISTAM Arcutium poëtam & Philoſophum.

SI tibi vacat,et nihil moleſtum eſt,
Dic oro mihi amice, dic amabo,
Quæ negotia tam negotioſa,
Quæ curæ tenuere tam moleſtæ,
Ne ad nos Pegaſeo gradu venires,
Ad conuiuia non Apiciana,
Sed quæ conueniunt viris modeſtis.
Vt mihi videor videre : mendax
Dediſti mihi verba : curioſè
Te quæſiuimus, hîc, & hîc, & illic
In ſedilibus omnibus, domiq;
Piſani, male ſit malis latebris,
Curis, atque negotijs : honeſtis
Quæ tuis ſalibus, facetijsq;
Nos deſiderio tui peresos
Priuarunt : iterum tuum ſodalem
Si fruſtabere : centies Iambum
Expecta tibi felle amariorem.

ADONIS THEOCRITI.

CÆſum diua potens Gnidi
Apro a fulmineo ut uidit Adonida

Cor et delicias ſuas,
Effundens lacrymas ex oculis: vocat
Ad ſe moeſta Cupidines,
Et nudas Charitas: imperat illicò
Ad ſe pertraherent ſuem:
Hæ ſtatim volitant per nemora omnia,
Et triſtem capiunt aprum:
Captum flexilibus viminibus ligant,
Et nodis ter, & amplius,
Verbisq; accipiunt & Sudibus male.
Hic vinctum laqueo rapit,
Hic roſtrum tremula figit arundine,
Ac coſtas pharetra petit.
Patrati ſceleris ſus bene conſcius
Ibat permetuens deam:
Vt captum, & tacitum ſtare videt Venus,
Infit: dedecus omnium
Syluarum, iuuenem tu mihi pernecas
Et vultu, & roſeis genis
Fulgentem nitidò ſidere clarius?
Innixus duplici genu
Dixit ſupplicibus ſic fera vocibus,
Per magnos tibi cælites
Iuro, per pueròs hos, volucres tuos,
Et per dura ligamina,
Quæ nodis validis me miſerum ligant,
Non his dentibus aſperis

Tam pulchrum volui lædere amaſium,
Sed cum labra corallina,
Et malas ſimileis puniceis roſis
Vidi, me furor impulit
Vt mille hinc raperem baſia: candidam
Coxam tangere geſtiens,
Lethali puerum vulnere protinus
Occidi immeritum furens:
Hos dentes igitur diua ſuperfluos
Plecte, & ſi tibi non ſatis
Eſt hoc ſupplicium: labra etiam hæc mea
Abſcinde arbitrio tuo:
Hæc dicens, lacrymas & gemitus dabat:
Miſerta eſt miſeri dea,
Et fletu madidis iuſſit Amoribus,
Apro vincula ſoluerent,
Iret glandiferum liber vt ad nemus.
Nouit quid ſit Amor Venus.
Non ſyluas petij ſus venia data,
Sed vindex ſceleris ſui,
Saxis præcipitem ſe dedit horridis.

AD VVLCANVM.
ex Anacreonte.

AGedum faber perite
Vualcane non Gradiuum

Excude mi ſub antro,
Quid quæſo, cum Gradiuo
Mihi qui ſequor Cytheren?
Sed affabrè, & politè
Et quàm potes profundum
Mi poculum labora,
Nec oro te ſint illic
Cœlata plauſtra, aut aſtra,
Nam quid Bootes ad me,
Aut Pleiades, profundum
Qui nolo nauigare?
Inſculpe ſed virentem
Vitem, & graueis racemos,
Vuamq; cum Lyæo
Comites ſuos prementes
Cupidinem, & Neæram.

AD PAVLVM MANVTIVM.

Iam menſes abire tres, quod oden
(Si tuus bene iudicat ſodalis
Zerbus Pierio fauore dignus)
Non ſane illepidam, nec infacetam
Miſi Cæſario meo magiſtro,
Verum (dicere vera non grauabor
Vt mos eſt meus, et uirûm proborum)
Adhuc Harpocrates fuit, nec unquam

Reſcripſit mihi literam vel vnam,
Id ſi (quod puto) fecit impeditus
Curis, atque negotijs trecentis,
Quibus quotidie implicatur: ipſe
In partem accipio bonam , piusq;
Ignoſco. piguit ſed otioſum
Reſpondere, (quod arbitror) Mineruam
Et Muſas Calabras rogo, repente
Dum ſomnum capit in ſuo cubili,
Fiat pro celebri & bono poëta
Suffenus, Bauiusq;, Meuiusq;
At tu (ſi tibi non tamen moleſtum eſt)
Meæ præſidium, & decus iuuentæ
Manuti optime ſcribe quæſo quidquid
Id eſt, vel fuit: & meas camœnas
Si videntur & aptæ, & elegantes,
Da virtutibns omnibus polito
Sirleto, eximia benignitate
Quarti Pontificis Pij decoro
Mitra purpurea, & ſacra tiara.
Pro tua quoque comitate verſus
Dabis Cæſario ſuos legendos.
Sed ſi vis mihi diligi , atque amari
Paule non minus ac meos ocellos,
Cura quod rogo vtrunque ſolus, & tunc
Paro quas ego gratias vtrique
Habere, atque agere, (vt decet) tibi vni

Virga in prædia Sancium
Felicis nemoris? relligio deos
Nec quicquam tetigit? pudor,
Et mentis probitas, atque animi nitor
Nil ah nil valuit? modum
Ecquis nunc lacrymis ponere ſuaſerit
Germanis? puer, puer
Si vis eſſe magis carus Apollini,
Et Muſis ſoboli Iouis,
Ac dicto citius pulla dolentibus
Affer vellera fratribus:
Nunc cum flebilibus triſtitiæ modis
Sunt cordi: citharæ, & lyræ
Molles ah valeant, omnia lugubri
Nunc cantu reſonent loca.
O curas hominum ſæpius irritas,
O ſpes, votaq; inania.
Quid non de medio ſerius ocyus
Fati dura neceſſitas
Tollit? quò properas heus puer huc redi,
Natum lætitiæ merum
Da vinctus potius tempora floribus:
Dum pulſat fidicen chelym,
Vates attonitus treis cyathos bibam,
Dulces vt Charites iubent:
At ſi in lance aderit mox poſitus lepus,
Parui temporis aut aper,

Ternos ter calices promptius hauriam,
Doctæ vt Pierides volunt:
Cras ſi terribilis iuſſerit Atropos
Sæuis iuncta ſororibus
Sicci forte lacus ibimus ad Stygos,
Aut ad ſidereas domos,
Præſcripto hic ſpatio nos manet exitus.

AD Q. MARIVM CORRADVM

SI vis Parthenope tuos docendos
Docto tradere filios magiſtro,
Da Quinto Mario meo ſodali,
Quo nil candidius, politiusq;,
Nec venuſtius, elegantiusq;
In terris fuit, aut erit: videbis
Illos commodè & aptè & eleganter
Breui diſcere litteras Latinas,
Et Græcas, varia eruditione,
Et culto pariter ſtylo fugauit
Omnem barbariem, infacetiasq;
Ex Iapygis vrbibus: ſuumq;
Mineruæ Latiæ, Atticisq; Muſis
Decus reſtituit, ſuumq; honorem.
Dumq; illic docuit ſuos lepores:
Docti diſcipuli hinc, & hinc, ad illum
Currebant propero gradu: catervæ

Bonorum iuuenum, ſenumq; magnum
Vt ad Pythagoram: vigebat olim
Cum dulcis Croto noſtra, nunc deorum
Sic ira miſera (vt licet videre)
Iacet diruta triſtibus ruinis,
Ipſa vt ſe Croto quærat in Crotone.

IN LIBELLVM IOANNIS Baptiſtæ Arcutij de natali Chriſti.

HVc quod eſt hominum venuſtiorum
Pictis tempora floribus reuinctum
Gradu Pegaſeo volet, videbit
Hoc in aureolo & nouo libello,
Quem Phœbi auxilio, & nouem ſororum
Iuxta Pauſilypi nemus beatum
Fecit Arcutius meus ſodalis,
Non Iouem, æthereæ domus poëtæ
Quem ſtulti faciunt deum: ſed illum
Deum, qui ex nihilo creauit orbem,
Et quæ continet orbis orbe in ipſo:
Ac ne ſub Barathrum, Chaosq; triſte
Humanum genus iret, vsque ab aſtris
Ad hos quos colimus locos coloni
Eiecti ob vetitum ſcelus viretis
E felicibus, optimiſq; campis,

Deſcendit: voluitq; de puella
Pura, & virgine naſcier: lauaret
Labem, quam potuiſſet ipſe nunquam
Totus Oceanus lauare: noſtras
Aerumnas miſeratus, & dolores,
Factus eſt homo, mira res, miſellus
Vt homo fieret deus: tulitq;
Mortem pro pietate ſingulari,
Vt mors occideret: rapit quis, o quis
Me furor rapit in ſpecus? potentem
Sub quo virgo deum dolore nullo
Enixa eſt Maria: vltimis ab oris
Treis Magos video venire ad antrum
Ferentes bona dona: ſtella monſtrat
Iter: ſed ſatis ac ſatis ſuperq;
Ipſe iam cecini, benigne lector
Faceſſat procul & procul faceſſat
Liuor, & fruere aureo libello,
Quo nihil fuit, aut erit per annos
Multos candidius, venuſtiusq;.

AD XANTHVM PELVSIVM *Fratrem.*

SI frater eſt Hymen tibi
Cordi, placentq; nuptiæ,
Nil obſto quo fiant minus:
Duxit ſororem Iuppiter,

Faber Cytheren Lemnius,
Stygosq; rex Proſerpinam.
Rigata tellus imbribus
Qui defluunt ex ætheris
Alto mariti culmine
Mortalibus turgentia
Tot poma, tot nuces parit,
Et cuncta quæ nos nutriunt.
At ipſe vitam cælibem
Ducam dei potentia
Munitus, atq; gratia.
Quiduis Lutheri ſentiant
Petulci iniqua dogmata.

AD FRANCISCVM SALENtinum Soleti archidiaconum

FElices nimis, & nimis beati
Mei verſiculi, Tarenti in vrbe
Quos doctiſſimus vtriusque linguæ
Salentinus ad Atticas Athenas
Duxit e Latio tenebricoſo:
Vt poſthac nihil & nihil timere
Blattas, & tineas queant: abite
Secli infamia quotquot eſtis omnes
Sophiſtæ, Criticiq;, Zoiliq;,
Cartas illepidasq;, putidasq;

Veſtro quærite quàs voretis ore:
Noſtras iudicio ſuo probauit
Franciſcus pater elegantiarum,
Vt tantum horribilem execrationem,
Morſus, & maledicta veſtra curent,
Quantum Marmaricæ lupum leænæ,
Aut ſimas lupus Appulus capellas

AD HIERONYMVM NOLAM *Medicum & Philoſophum Crotoniatam.*

OLim Pythagoras meam Crotonem
Ornauit ſtudio artium bonarum,
Sanctis moribus, integraq; vita,
Nunc honos Hieronymus perennis,
Et Calabriæ, & omnium Italorum
Auget ingenio, eruditione,
Doctrina, & bonitate ſingulari:
Siue diſcipulis cathedra ab alta
Griphos Pergamei explicat Galeni,
Senſusq; Hippocratis recludit omnes:
Siue depoſitos ab imminente
Fato ſurripit, & facit valere.
Fortunata parens, parens beata,
Quæ talem patriæ virum tuliſti,
Quis te non fateatur eſſe dignam,

Et quam Pieriæ nouem puellæ
In ſuis oculis ferant, & almæ
Aeterno Aeſarides colant honore:
Dum Phœbus populis, ſororq; Phœbi
Dabunt tempore noctis & diei
Lumen, & liquidas Neæthus vndas
Salentinus habebit, hîc & illic
Ac fides vbicunque noſtra regnat,
Tuus filius ora per virorum
Viuus alite proſpera volabit.

EPITHALAMII PRAEFATIO

SVffeni, & Voluſi mali poëte,
Veſtra barbarica intuitione
Qui verſus iugulatis hos, & illos,
Abite hinc procul, hinc abite longè,
Ne meos quoque peſſimi necetis.
Vos Tuccæ, & Varij boni poëtæ
Veſtra mollicula intuitione
Qui verſus recreatis hos, & illos,
Huc accurrite, currite huc, iuuetis
Vt meum quoque nuptiale carmen.
Vt hoc efficiatis, apprecantur
Ephæbus quater, & quater puella,
Vos Brancatius, & Brianda, flores
Aeui huius iuuenum, & puellularum.

FVLVII BRACATII, ET BRIANDAE
Sanciæ epithalamion.

Hymen, o Hymenæe, Hymen, ahenis
Qui nodis teneras uiris puellas
Iungis, & teneros viros puellis,
Ad tuum officium veni iugale,
Natos te ſine nulla dat puella
Fama quos bona comprobet: nec vllæ
Poſſunt te ſine nuptiæ placere,
Alfonſus pater, & pater Camillus
Noſtri gloria temporis virorum
Ad connubia te vocant: venito
Cum pini face, luteoq; ſocco,
Tecum pronuba Iuno, quæ iugandis
Præeſt virginibus, virisq; caſtis,
Diua Cypria, Gratiæ iocantes,
Iuuentas, puer aureus Cupido,
Et Nymphæ properent caput reuinctæ
Vel roſis, vel amaraco ſuaui:
Faceſſant procul, & procul faceſſant
Curæ, ſollicitudines, & æſtus,
Adſint lætitiæ, ioci, & ſuſurri,
Hæc dulci Genio dies dicatur.
Non ſemper mare fluctuat procellis,
Nec ſemper iuga montium pruinis
Teguntur: variat vices benigna

Natura: en deus ille nuptialis
Iam venit: noua nupta prodi ad illum,
Ad illum noua nupta prodi: ocelli
Cœli ſidera bina, non ocelli
Quid ah quid lacrymis tui madeſcunt?
Flere deſine, deſine oro flere,
Mitte triſtia verba, mitte queſtus,
Pulchro pulchra daris viro, tibiq;
Pari ſanguine, moribus, iuuenta,
Non eſt dignior alter orbe toto
Vir te coniuge: militaris ardor
Illum ni faceret magis ſeuerum,
Eſſet par facie tibi nitente.
Fortunata nimis, nimis beata,
Tali iuncta viro, parem puellæ
Quæ vobis cupitis diem quot eſtis
Oro dicite quotquot eſtis omnes
Hymen, o Hymenææ, Hymen venito.
Matrimi ſimul, & ſimul patrimi
Mouete o pueri faces, modosq;
Lætos fundite ſepties ad aſtra.
Vos bonæ thalamum parate matres,
Hæc ſunt munia veſtra: dein locate
Vt ſcitis lepidiſſimam puellam,
Expertis loquor hæc: marite ceſſas
Tu quid interea? vxor eſt parata
In lecto tibi: tot procis negata

Vni virgo datur tibi pudica,
Tota candida, tota mollicella,
Succiplena, tenella, plena Suadæ.
Da felix nimis, & nimis beatè,
Ori baſia mille, mille fronti,
Genis altera mille, mille collo,
Dein mille altera, dein ſecunda mille,
Atque hæc inſuper adde & his, & illis,
Centum millia centies capillis:
Centum millia centies ocellis:
Mille millia millies papillis:
Mille millia millies labellis:
Et tot millia millies trecenta,
Quot nunquam numerare curioſi
Poſſint, aut mala faſcinare lingua.
Si tibi noua nupta virgo bella,
Quantum quæ potis eſſe virgo bella,
Repugnabit, & vnguibus tenellis
In te ſæuiet, improbumq; dicet,
Tanto fortius vrge, & hinc & illinc
Stringe candida colla, ſtringe pectus
Tanto preſſius; vt parens puerq;
Cupido iubet, & Venus. fideli
Nec ſi conſilio meo acquieſcis,
Illam deſere, donec ipſa victam
Se tibi fateatur, & rubentem
Ponat in tepido toro pudorem,

Tu magis fueris vel illa fortis
In certamine: nos ſciemus ipſi,
Hymen o Hymenęe, Hymē quadrigas
Cum Sol extulerit ſuas ab vndis.
O nox dulcicula, & voluptuoſa,
Tota blandicula, & iocoſa tota,
Ac digniſſima candido lapillo,
Quam te vel Cytherea, vel Cupido,
Vel coniux Iouis, et ſoror Tonantis
Et dulcem magis, et magis beatam
Dederunt pariter deis, uirisq; ?
Ortus ſemideis viris, & omni
Summa præditus eruditione
Heros Fuluius ille, qui potentum
Eſt flos aureolus iuuenculorum,
Non quot clara Neapolis creauit,
Sed quot Italicæ tulere matres,
Amplexabitur hinc et hinc lacertis
Nynpham ſanguine nobili Briandā,
Illam quæ nitidis ſuis ocellis,
Illam quæ roſeis ſuis labellis,
Illam quæ niueis ſuis papillis,
Emittit Veneresq;, Gratiasq;.
Ambo floriduli, venuſtuli ambo,
Pares ſtemmatibus, paresq; forma
Coniuges nimis, & nimis beati,
Annos exigite in ioco trecentos,

Et nobis date liberos, venuſto
Ore qui referant ſuos parentes:
Atque dicite ter, quaterq; mecum,
Hymen, o Hyminæe Hymen venito.

AD IOANNEM ANTONIVM SYRONEM Poëtam, & patritium Neapolitanum.

Syro qui grauitate, moribusq;
Forti Fabricio, & Catone dignis,
(Vt mihi videor videre) cedis
Nulli ex patricijs, recenti in æuo
Quos Campania terra procreauit,
Oro perlege (fronte non ſeuera)
Noſtra hæc carmina: ſi videntur eſſe
Conſcripta illepidè, atque ineleganter,
Nolim des vitio mihi: virili
Parte qui ſtudui tibi placere.
Sed Muſis, & Apollini, ſub vmbra
De qua Pauſilypus videt profundum,
Et volantia lintea in profundo,
Qui me deſtituere concinentem.

AD MARIVM ALTIMARVM Iuriſconſultum.

PEritiſſime iuris, omniumq;
Virorum optime quot creauit æuo

In hoc clara Neapolis, frequenter
Quod me laudibus vſque ad aſtra tollis,
Et de carminibus meis vbique
Dicis tam benè, prædicasq; amanter,
Vt eſſent vel Horatij, aut Maronis,
Ac domus tua (quod magis probandum eſt)
Noctes atque dies mihi eſt aperta,
Hoc ab eximia benignitate
Tua Naſcitur. ipſe perlibenter
Et Muſas, & Apollinem rogabo,
Pro tanta probitate, proq; amore
Quo me amplecteris, vt mereris, ipſi
Pro nobis cumulo ampliore grates,
Et munus referant tibi, tuisq;.
Ipſe ſi dabitur mihi a Thalia,
Cuius ſub ditione ſum: camænis
Meis illepidis, & infacetis,
Te Mari Altimare vſque ad aſtra tollam.

AD CAESAREM SCANAPECVM
Medicum & Philoſophum.

AMice Cæſar quem colit Neapolis
Vt alterum Aeſculapium,
Ad me volatu Dædali precor veni,
Mors ante quàm me finiat.
Angina morbus omnium triſtiſſimus

(Irà putauerim deûm)
Sic faucibus, ſic gutturi negotium
Meo faceſſit : vt mihi
Parent amici quæ parari mortuis
Solent in ipſo funere.
In quo ſtatu ſint res meæ, ipſe iam vides,
Ni veneris vento ocyus,
Et me venenis optimis periculo
Ab imminente exemeris,
Tam funditus periuerit vates tuus,
Extrema (vt aiunt) quàm faba.
Ergo tibi eſt ſi curæ amiculus: veni
Panacem ferens dulciſſimam:
Si me leuaris hoc malo : gallum tibi
Mittam, & trecenta carmina.

AD BARTHOLOMAEVM Maranthbam.

CVltor Pegaſei chori Marantha,
Fretus omnigena eruditione,
Acriq; ingenio, eloquentiaq;,
Paras edere poſteris Horati
Qui myſteria, & abditos receſſus,
Si te reſpicient benigna fata,
Solent reſpicere vt viros beatos:
Et graui auxilium feret labori
Apollo citharæ cauæ repertor:

Tuo candido, & aureo libello
Aeuum Calliope dabit perenne.
Et de tanto opere eruditiores
Qui multum lyricæ ſtudent pöeſi,
Quantum diſcipuli optimis magiſtris
Debebunt ſtudio, & tuo labori.

AD ALOISIVM TANSILLVM Pöetam elegantiſſimum.

Miles Pieridum ſacer
Tanſille, & patriæ præſidium tuæ
Naturam ſequimur ducem
Omnes: Threicia certat amyſtide
Baccho hic vincere deditos:
Talis, & vetita legibus alea
Hic patrum minuit bona:
Alter proſtibulas deperit impudens:
Alter flagrat amoribus
Nuptarum: reliquis linquis ineptias
Has tu gratus Apollini,
Et cinctus viridi tempora pampino,
Pangis Tuſca pöemata,
Quæ tota obſtupeat dulcis Hetruria:
Summa laude Arioſtius
Vates egregius tollat ad æthera:
Te Tanſille ſuperſtite,
Fama hæc ſidereis inſerit ædibus.

IA. PELVS. CROT.
AD CONSALVVM LERMAM
iurisconſultum, & poëtam.

DIſertiſſime Lerma, Lerma vatum
Iucundiſſime, & omnium virorum
Quos Hiſpania docta procreauit,
Peritiſſime iuris vtriusque,
Si quid in regione Brutiorum
Quibus nunc ſapienter, atque amanter
Ius dicis, lepidiſſimæ puellæ
Dictant Pierides tibi ad fluenta
Flaui Crathidis: oro ne ſodali
Occultaueris: ipſe nil profecto
Graio carmine ſcribis, & latino,
Quod non ſit medio in foro legendum.
Blattas, & tineas ſuis Camænis
Illi pertimeant: quibus Minerua
Mater artium, & omnium bonorum
In vatum numero negauit eſſe.
Tuas (ne dubita) fauente Phœbo,
Canet poſteritas: meo in libello
Ne feras rogo te, moleſtè & ægrè,
Nomen interea tuum legatur.

AD MICHAELEM VILLANOVAM
Regium Conſiliarium,

SI vita noſtra iureconſultiſſime

(Vt ſcis) Michael eſt nihil,
Niſi ſtudemus literis, quæ ab impiæ
Nos Mortis vnco vindicent:
Ego has Camænas quas iuuante Apolline
Conſcripſi in hortis Sancij
Curis ſolutus: gentis Hiſpanæ decus
Mitto tibi, oro ſuſcipe
Vultu ſereno, ſi legendas duxeris
Medio in theatro, vel foro:
Ereptus ipse ab Orco inexorabili,
Volabo ad ædes cælitum:
Pari volabis ſorte tu mecum quoque,
Per orbis omnes angulos:
Perenne nomen nanque iuris maxima
Tibi dabit ſcientia.

AD IO. CAROLVM BOVIVM Brunduſinum Archiepiſcopum, & Vritanum.

CAndidiſsime candidiſſimorum
Carle pontificum omnium, galerus
Queis crines viridis tegit: vocare
Te potes nimis & nimis beatum.
Pryca es progenie editus: tuumq;
Aequat te ingenium quot hoc in æuo
Viros Heſperiæ vulere matres:

Et mirabile quod magis putamus,
Graios, & Latios habes lepores :
Quos doctæ Aonio in ſpecu puellæ
Præbent vatibus, annuente Phœbo :
Ac virtus, duce quà deûm per oras
Heroum volitat genus, virûmq;,
Quos fouet tenero in ſinu Minerua,
Te ſumma ſuper aſtra laude tollit.
Ne mirere igitur poëta Ianus,
(Si dignus tamen eſt poëta haberi,
Qui fundit tenues modos ab ore)
Tot virtutibus, impotente amore
Si ſcribi in numerum ardeo tuorum:
Præ quo vilius æſtimo potentum
Regna, diuitias, opesq; regum.

AD LACTANTIVM ROCCAM
Medicum, & Philoſophum.

LActanti potes arte qui medendi
(vt pater faciebat Aeſculapi)
Vitæ reddere mortuos priori,
Non eſt mi benè, ſed malè, atq; acerbè,
Atque ſic malè per deum atque acerbè,
Vt mihi videar videre mortem
Suas me trahere ad malas tenebras,
Ad nos vnde poteſt redire nemo.

Anginam patior miſellus, Orco
Morbum aut ex Phlegethonte, Tartaroue
Emiſſum, aut Acheronte: febris æſtum
Sum paſſus toties, ſed hic dolores
Omneis exuperat dolor: venito
Velo, remigioq;, cum potente
Et Moly, & panace: leuabis ægrum
Hac ſi triſtitia, grauiq; pœna,
Non gallum tibi, turturemue mittam,
Sed grandi celebrabo te Camæna:
Nunquam vt pœniteat mihi ſalutem
Dediſſe: ac ſuperos deos, deasq;
Rogabo aſſidua rogatione,
Tibi millia multa dent bonorum.

AD CAMILLVM PORTIVM
Iuriſconſultum.

QVi te Camille non amat, quantum ſolet
  Parens amare liberos,
Virtutis hoſtis, & bonorum neſcius,
  Formoſa hic odit omnia.
Si mentior, me cælites ad Inferos
  Adigant triſulco fulmine:
In te profunda iuris eſt peritia,
  In ore magna dignitas,
Hæc forma mi videtur eſſe ampliſſimis
  Honoribus digniſſima.

IA. PELVS. CROT.

AD ANTONIVM PORTIVM Abbatem.

SI me Pegaſides puellæ amarent,
Vt te Pierides amant ſorores,
Antoni pater elegantiarum,
Et docto patre doctior, poëtæ
Qui ſunt ingenio beatiore
Multo quàm tuus eſt Crotoniates,
Quas mitto tenues tibi camænas,
Laudarent ſatis, & ſatis probarent:
Vnius tamen æſtimo trientis,
Et pili facio, teruntijq;,
Vatum hoc iudicium ſeueriorum,
Si acri iudicio tuo, & polito
A cultoribus artium bonarum
Dignas duxeris eſſe quæ legantur.

AD THOMAM THYLESIVM Archiepiſcopum Conſentinum

THoma gloria magna Brutiorum,
Et Græcæ columen, decusq; terræ,
Nunc virtus tua, candidiq; mores,
Et peritia grandis vtriusque
Sermonis viridi caput galero
Ornarunt: tibi vera certus augur

Cano, ne dubita, berui fauente
Noſtro maximo, & optimo Tonante,
Fædem perficient, patres vt inter
Poſſis ipſe ſedere purpuratos:
Nam qui hoc tempore Pontifex carinam
Petri ſic regit, vt furore ſpreto
Ventorum, & rabie maris, minisq;,
Portum iam teneat, viros politos
Bonis artibus, integraq; vita,
Fouet, diligit, & tuetur omnes.

AD BERNARDINVM THYLESIVM Philoſophum.

QVot legunt iuuenes, ſenesq; docti
Quæ ſcribis varia, & referta ſenſa
Attica, & Latia eruditione,
Nihil candidius, politiusq;,
Nihil doctius, elegantiusq;
Vno ore eſſe fatentur: hoc Thyleſi
Sic tuum eſt proprium, vt natare thynni,
Et volare aquilæ, boumq; arare.
Quid mirum eſt igitur repertus unus
Si e tanto es numero virûm Italorum,
Qui veris rationibus refellas
Scripta Ariſtotelis: tibiq; cedat
Sophus, qui fugiens Sami tyrannum,
Ciueis perdocuit meos Crotone,

IA. PELVSII CROT.
AD VINCENTIVM BOMBINVM
Conſentinum iuuenem
modeſtiſſimum.

SI dij dederint mihi, deæq;,
Vincenti pater omnium leporum,
Et nouæ decus eruditionis,
His vt me valeam extricare curis,
Quæ me tot laniatibus trucidant,
Curuo poplite ſepties rogabo
Aquæ Bellerophontidos puellas,
Dictent verſiculos mihi elegantes,
Non queis inuideant Maroniani
Manes: nam lepidæ, & nimis venuſtæ
Muſæ, ſi cuperent loqui Latinè,
Suos (vt reor) explicare ſenſus
Poſſent non alio ore quàm Maronis:
Sed queis ſic referam tuos lepores,
Virtuteſq; tuas, bonoſq; mores,
Nullo vt tempore deleat vetuſtas.

IN LIBELLVM M. ANTONII
Mureti Oratoris, Poëtæ, &
Philoſophi.

SEnes, & iuuenes quot eſtis omnes
Cultores Latiæ, Atticæq; linguæ,

Oro præpropero gradu venite
Has ad delicias noui libelli,
Quas culta, lepidaq; dictione
Dignus qui meritò vocetur vnus
Orator, ſophus, & bonus poëta
Muretus lepidis viris parauit.
Hinc procul, procul hinc tenebriones,
Sophiſtæ, Criticiq;, Zoiliq;,
Ore qui rabido hos, & hos, & illos
Libros carpitis, atque lancinatis:
Quidquid cernitis hic homunciones
Inculti, illepidi, atque inelegantes,
Doctæ eſt auxilio deæ Mineruæ
Factum, Mercurijq;, Apollinisq;,
Nil niſi eximium meus ſodalis
Peritiſſimus vtriusque linguæ
Et iuncto pede ſcribit, & ſoluto.
Ergo qui ſtudio perennitatem
Vultis o iuuenes, ſenesq; vobis,
Nocturna ſimul, & ſimul diurna
Verſate aureolum hunc manu libellum.

AD ANTONIVM SCARAMPAM Pij Quarti Pontificis Maximi legatum, et Nolanorum Epiſcopum.

ANtoni venerande, quem decora
Virtus, integra vita, candidiq;

Mores æthereum vehunt ad arcem.
Quæ miratio Pontifex Pius ſi
Tot virtutibus incitatus, hoc te
(E tanto numero virûm bonorum
Nobis Gallia quos tulit Togata)
Amplo munere dignitatis auxit:
Atque idem tibi detulit, tuæq;
Mandauit fidei pares honores.
Fortunata ſatis, ſatis beata
Veſeuo nimium iugo propinqua
Nola, quæ regeris benignitate
Tanti præſulis: optimum Tonantem
Noctes atque dies roga, det illi
Aeuum Neſtoris, Hectorisq; patris.
Sic idem tibi donet expetenti
Midæ diuitias, opesq; Crœſi,
Et cum Threiciæ lyræ canore
Diu degere ſobriam ſenectam.

AD LVDOVICVM QVADRAM *Regium Conſiliarium.*

GRande præſidium meæ iuuentæ,
Et gentis columen, decusq; Iberæ
Diſertiſſime Quadra, ſi moleſtum
Non eſt tot tibi rebus impedito
Magni ponderis, & laborioſi,

Paucis expediam, breuiq; dicam,
Cur nunc verſibus Inferos ad imos,
Et nunc ad ſuperos vocem ſupremos
Matres, quæ meruere & hoc, & illud.
Olim Steſichorus bonus poëta,
Ac dulciſſimus omnium virorum,
Quotquot Trinacris ora procreauit,
Cum furens Helenen modis proteruis
Non ſemel laceraſſet hinc, & illinc,
Frontis ſidera perdidit: retortis
Poſt in mitia triſtibus: recipit.
Fratres Tyadaridæ ſuæ ſororis
Offenſi vice, reddidere nunquam
Vati Mæonidæ ſuos ocellos:
Quod quæ ſcripſerat in malum, negauit
Mutare in melius. timens id ipsum
Ne forte accideret mihi: libenter
Quam tot abſtuleram prius puellis
Malis verſibus, impijsq; dictis
Famam: reſtitui, manuq; plena
Laudaui nimis, & nimis probaui.

AD THOMAM SALERNITANVM
Sacri Regij Conſilij Præſidentem.

THoma dulce decus meæ iuuentæ,
Omnes te rogo per deos, deasq;,

Ne permiſeris, vt meæ Camænæ
A ſtulto Paparone perlegantur:
Cauſam (quæ tua comitas) requiris?
De doctis male ſentit, atq; habetur
Improbiſſimus improbiſſimorum,
Indoctiſſimus omnium virorum,
Fons vberrimus infacetiarum,
Cunctarum pater immodeſtiarum,
Atque idem pater inſolentiarum.
Sordidiſſime ſordidiſſimorum
Tuas o vtinam meras cloacas,
Mera & ſtercora ſterquiliniorum,
Confectas Acherontis ad fluenta
Nugas merdiferasq; putidasq;
Hippocrenides optimæ puellæ
Mergant in Barathro cacationum,
In Scylla rabida, in truci Charybdi,
In Orco, in Phlegethonte, Tartaroq;,
Ne poëmata tam cacata quenquam
Lædant e numero elegantiorum.
Fronte qua Paparo, ore quoue iactas
Te culto canere altius Catullo?
Cum docti (quibus eſt nihil negatum)
Te rauca Strige peius, & Cuculo,
Coruis Vulturijsq; Miluijsq;
Dicant ſtridere. Iuppiter miſellæ
Sic mihi deus adſit aduocatus,

Tuæ vt me miſeret loquacitatis,
Qua loquacior omnibus cicadis,
Et Cornicibus, omnibusq; Picis,
Deferris temerariè, ruisq;
Præceps in ſatyras amariores
Triſti abſinthio, & omnibus cicutis.

AD IO. CAMILLVM TVSCANVM.
Iuriſconſultum, et Patritium Ruſcianenſem.

TVſcane optime quem remoto in agro
Immenſo pelago negotiorum
Amatoribus vrbium relicto,
Iuuat perlegere Arbuti ſub vmbra
Strophas Pindaricas, Horatianas
Odas Meonidæ & ſacri Maronis
Læui pumice carmen expolitum,
Nec pudet leporesq;, capreasq;,
Venari canibusq; retibusq;,
Dulci perge frui (vt facis) receſſu,
Hæc felix nimis, & beata vita eſt.
At vos interea nouem ſorores,
Et Nymphæ quibus eſt amica ſylua,
Quidquid carmine dixerit Latino,
Tuſco, & Cecropio meus Camillus,
Truncis ſcribite Populi virentis,
Vt ſi quando homiues politiores

Forte illuc veniant meridiatum,
Cum Canicula caldius perurit,
Summis laudibus efferant ad aſtra,

AD TRAIANVM CIOFIVM
Peotam

TRaiane ingenio potens, amores
Qui tuos numero perelegantes
Hetruſco canis, & canis Latino,
Velim (ſi fieri poteſt) libenter
Legas carmina, quæ Crotoniates
Ianus Pythagoræ ſacris ab vſque
Hortis miſſitat: improbi Theones
(Qua ſunt improbitate, moribusq;
Peruerſis nimis, & nimis moleſtis)
Si corrodere quidpiam, aut notare
Tentarint: rogo te, bonum ſodalem
Tractari malè ne ſinas ab illis.
Vno tempore ſic mihi, tibiq;
Satisfeceris, & ſodalitati.

AD HIERONYMVM SORITAM
Philippi Regis Hiſpaniarum a ſecretis.

SVrita inclyte quem Minerua paruum
Artes perdocuit bonas, deditq;

Stylo ſcribere poſſe Liuiano
Longas hiſtorias, & ore dulci
Verſus fundere melle dulciores,
Si iuncto pede quidpiam, aut ſoluto
Iuuat dicere Flandrico in tumultu,
Per Muſas, et Apollinem rogamus,
Sub dium rapias: tuiq; cantes
Philippi memoranda facta ſolum
A te & hiſtorico, & bono poëta.
A me verſiculos mea in Crotone
Factos accipies: tua polita
Pro doctrina, & amore ſingulari,
Quo complecteris elegantiores
Oro, depoſita ſeueritate
Lege: & ſi ſinis ora per virorum
Ire: illis Veneresq;, Gratiasq;
Inſpira, & teneros tuos lepores.

AD ANELLVM TVRBVLVM
Philoſophum, & aſtrologum.

CLio progenies Pij Tonantis
Si me diligis, vt tuus ſacerdos
Ipſe diligo te, tuumq; Phœbum,
Velo remigioq; vade: & illum
Meo nomine Turbulum ſaluta,
Inter quem iuuenes diſertiores

H

IA. PELVS. CROT.

Diuini ſapientiam Platonis,
Atque Ariſtotelis bonos libellos
Iuuat diſcere: ſiderumq; motus
Notare aſtrologi vt ſolent periti.
Tu ſcis, quid tibi dixerim: rogato
De nota meliore perpolito
Subacto ingenio, eloquentiaq;
Me Thyleſio, & optimis amicis
Commendet: mea Muſa ſi morari,
Hinc diſcedere: ego viam vorabo.

AD IO LAVRENTIVM
Ananium Tybernatem.

Laurenti tibi gratulor, tuisq;,
Fortunã tibi quæ Panormo in vrbe
Semper obſtitit, omnibusq, neruis
Eſt deſiderium tuum morata,
Mutari, & fieri auſpicatiorem:
Claræ doctor es indolis Caraphæ,
Qui cum ſit vigil, integerq; præſul,
Et viros ſtudijs bonis vacantes
Alat, reſpiciat, vehatq; ad aſtra:
Et tu doctus, & elegans magiſter
Ames, ſuſpiciasq;, diligasq;
Bonos pontifices, virosq; honeſtos.
Quod optaueris aſſequere donum:
Nam tibi dabit ille liberalis.

AD FVLVIVM BONDARDVM Medicum, & philoſophum.

FVlui qui melius profundiusq;
Quàm chorus reliquus virûm medentum
Griphos Hippocratis, tui & Galeni
Senſa intelligis, ad tuum ſodalem
Si illum diligis, ocyus volatu
Veni Pegaſeo: miſer laborat
Anginæ & capitis dolore ſummo.
Ni dicto citius leuabis ægrum
Hac vi tabifici mali, & valentem
Succis Pæonijs, virentibusq;
Herbis reddideris: manus rapaces
Mors illi injiciet, trahetq; ad oras,
Vnde vix reuocabit Aeſculapi.
Phœbus archiatri pater, priori
Vitæ præſidio tuæ medelæ
Si ſe viderit eſſe reſtitutum,
Centum verſiculos tibi rependet,
Queis (gratum decet vt virum, et modeſtum)
Acceptam referat tibi ſalutem.

AD SCIPIONEM AMIRATVM Poëtam Lupienſem.

POſtquam tot medici boni, & periti

Opis pæoniæ, meos dolores
Quos angina parit mihi moleſta,
Non curare queunt bonis venenis,
Amirate tuis patrem Aeſculapi
Qui ſua panace imminente ab Orco
Aegros eripit, & facit valere,
Votis & precibus roga: fugata
Vi morbi Phlegethontis ad fluenta,
Reddat incolumen tuum ſodalem.
Molles funde preces, nihil negabit
Tibi Phœbus; & aſpero dolori
Meo ſubueniet: boni poëtæ
Audit vota, precesq; perlibenter.

AD FRANCISCVM VOLLARVM *Philoſophum, & coſmographum,*

Globus Vollare quem iuuante Muſa
Feciſti Vrania, mihi videtur
Opus difficile, & laborioſum,
Dignum regibus, omnibusq; magnis
Viris. hîc meliusq;, apertiusq;
Europæ. atque Aſiæ, Africæq; partes,
Et quæ continet orbis orbe in ipſo
Vidi luce oculi mei, ipſe quàm ſi
In his partibus omnibus fuiſſem.

AD IO. ANTONIVM LVPVM Iuriſconſultum, & poëtam Grauinatem.

O qui tam faciles nouem ſorores
Habes, Mercuriumq;, Apollinemq;
Antoni, arbitrio vt tuo vireti
Poſſis ex Heliconijs volare
Ad ciuilia iura: & inde lætus
Cum cæpit ſatias, redire ad vndas
Fontis Bellerophontidos: rogamus
Quando es maximus omnium patronus,
Et ſuauiſſimus omnium poëta,
Vt Ianum tibi deditum, tuiq;
Amantiſſimum, & omnium virorum,
Quos iuuant ſtudia artium bonarum;
In doctum referas gregem tuorum.

AD IO. ANTONIVM PISANVM Medicum, & Philoſophum.

Gallum Phæbigenæ dabat vetuſtas,
Ille vbi eripuiſſet e periclo
Aegros Mortis, & aſpero dolore.
Aſt cara ipſe ſalute pro recepta
Pro vita mihi reſtituta, & aura
Vitali auxilio tuæ medelæ,
Quid Phæbo tibi, filioq; Phæbi

Par Piſane feram? canam ſub vmbra
Fagi carmina millies trecenta,
Immortalia dona, grata Muſis,
Quæ mori prohibent honore dignos.
Vt ægros reuocas rapaci ab Orco,
Reddisq; incolumes bonis venenis
Ipſe: viuere ſic meo in libello
Meres innumerabiles per annos.

AD IO. BAPTISTAM PORTAM
Iuuenem omnib. bonis artib. eruditum.

Iucundiſſime Porta, Porta ſecli
Noſtri gloria, quàm tui labores
Acris ingenij, uiris politis
Sint grati, hinc facilè ipſe iudicare
Potes; quod iuuenes, ſenesq; docti
Semper in manibus gerunt, leguntq;
Seu domi libeat ſedere ad ignem,
Cum frigus Boreæ perurit agros,
Et Veſuuius albicat pruinis,
Seu magis libeat iacere ad vmbram,
Cum mollis Zephyri tepentis aura
Flore gramina diſcolore veſtit.
Nec mirum Hercule, ita aptè, & eleganter
Condiſti ſalibus, faceitijsq;,

Vt quò plus relegunt, magis, magisq;
Hòc creſcat ſtudium legendi, amorq;.
Dum canent elegos Tibullianos,
Odas molliculas Horatianas,
Et culti hendecaſyllabos Catulli
Boni, docti, & amabiles poetæ:
Tuarum monumenta litterarum
Viuent: atque hominum venuſtiorum
Ibunt cuncta per ora continenter.

AD XANTHVM PELVSIVM Fratrem.

SI me frater amas amore ſummo,
Vt me ſemper amaſti, & vſque amabis,
Donec per Lachesim tibi licebit:
Illos diuitias parare natis
Parentes ſine: quos imago falſi
Ludit, & ratio fugit bonarum
Rerum, filiolos tuos tenella
Aetas dum patitur, bonis magiſter
Cultus moribus, eruditione
Summa perdoceat benè, & pudicè
Libros Vergilijq;, Tullijq;,
Docti Mæonidæ modos, & illos
Quos Graiæ fidicen lyræ canorus
Scripſit Pindarus: & ſenex Pericles

Sparſit melli fluentibus labellis.
Vbi hæc perdidiciſſe iudicabis.
Acri iudicio tuo: Galeni
Tunc & Hippocratis vacent libellis.
Cordi non fuerit leuare morbos
Arte ſi medica: ad ſacrum volumen
Appellant animum vtriuſque iuris,
Hac germane breui via ſuorum
Fient perſimiles: ſibiq; nomen
Magnum in ſecula longa prorogabunt.

TVMVLVS FEDERICI LVPI Iuriſconſulti Grauinatis.

IN vrna Lupus hac iacet viator,
Summa præditus eruditione
Sacri iuris, & artium bonarum,
Pro morum bonitate, proq; caſta
Vita Mæonijs modis canenda,
Omni dignus honore, dignus annos
Senis viuere Neſtoris trecentos.
Sed crudelia fata, fata acerba
Habent ordine quæ vno, & hos, & illos,
Nobis eripuere: dij deæque
Aedes qui colitis Iouis ſupremi.
Quando illum lacrymis Grauina tota
(Vt par eſt) decorat pijs, facitq;

Iuſta debita funeri quotannis,
Sanctum in cõcilium referte veſtrum.

AD VVLCANVM

VVlcane ſcalptor optime
Mihi dyotam fabrica,
Quam cum corono Maſſico,
Vix ſiccet Polyphemus.
Cælatus illic impius
Non ſit Gradiuus, nam mihi
Quid cum Gradiuo, poculum
Qui te poſco profundum?
Arctos polita nulla ſit,
Quid Vrſa maior, aut minor
Ad me? trementi nauitæ
Tardum cude Bootem.
Inſculpe ſolam Myrtiam,
Ego docebo te modum,
Inordinatæ ſint comæ
Flauæ, lactea ceruix.
Ocellus illi fulguret,
Parentis vt Cupidinis,
In mollicellis ſeſſitet
Dulcis Suada Periclis.
Cum finxeris cælo genas,
Adiunge lilijs roſas,

Fac oris orbi candidos
Dentes ex elephanto.
Sed neſcio papillulis
Quæ detur apta formula,
Sint gemmeæ, quales habent
Nymphæ, aut pulchra Diana,
Quod præmium voles dabo,
Si eris benignus artifex
In explicandis partibus,
Quas nobis ſtola velat.
Hoc ſolus ipſe poculo
In prandio, & cæna bibam,
Et non liquorem Bacchicum,
Sed Nonacridis vndam,
Vt diluam miſerrimus
Mei calorem pectoris,
Quod flagrat vt Vulcania
Ruptis Aetna caminis,

AD MYRTIAM

Amica Baccho pocula
Mea ebibamus Myrtia,
Non ſub virente Populo,
Sed ſub vite iacentes.
Potemus alternis, amat
Alterna gaudij dator

Lenæus, & blandam ad lyram
Cantillemus amores.
Ad arma miles curſitet,
Auarus ad pecuniam,
Nos ad Lyæi dolia
Crineis fronde reuincti.
Eia miniſter ocyus
Scyphum corona Myrtiæ,
Mihi propina cantharum
Dulci nectare plenum.
Nil dulcius vino dei
Nobis dedere cælites,
Mouere quæ uos ſanciant
Omni tempore curas.

IA. PELVS. CROT.
LVSVVM LIBER QVARTVS

AD PETRVM PORTV-

CARERIVM EQVITVM MAgiſtrum, & conſiliarium Collateralem.

ITe procul Musæ, procul hinc diſcedite Muſæ,
Veſtraq; de noſtris demite ſerta comis:
Veſtra alij vates celebrent myſteria: Lauro
Et vincti ante aras myſticā ſacra parent.
Me mea fata trahunt ad triſtia bella: Gradiuus
Dat capiti galeam, cingit & enſe latus.
Ira animum exacuit, vires Bellona miniſtrat,
Et me bellandi dogmata cuncta docet:
Nec mihi ſunt molles ad Martia pila lacerti:
Eſt mihi quæ ferrum ſtringat et apta manus:
Dum me Petre tuum defendas: hoſtis in armis
Sit meus: & mecum bella cruenta gerat.
Te duce confertas perfringam ſtrage phalanges:
Et ponam ad patrium parta trophæa tholum.

AD MICHAELEM COSSVM.

MOrte doles patris, debes gaudere Michael,
Cur? colit ætherei ſidera clara poli:
Ante hominum fuerat, nunc eſt conuiua deorum;

Veſcitur, & dulci nectare: & ambroſia:
Mitte igitur lacrymas, ſuſpiria triſtia mitte,
Nec tua lugubri corpora veſte tege:
Lætitiæ te dede: tui de morte parentis
Vita viget, longa non abolenda die.

AD FABRITIVM COSSVM.

QVid fles extinctũ noctesq; diesq; parentẽ?
Moreq; fœmineo triſtia verba tonas?
Pone modũ lacrymis, lacrymarũ munere victus
Defunctum nullum nauta Charon reuehit:
Si ſapis indulge Genio dum poſtulat vſus,
Forſitan Inferni cras eris vmbra lacus.

AD ANGELVM CONSTANTIVM.

ANgele nil miror ſi carmina pãgis in vmbra,
Quæ ſunt in medio cuncta legenda foro:
Te in gremio a puero doctæ tenuere ſorores,
Delius atque lyræ plectra canora dedit:
Te rogo ſi quid apud te poſſunt carmina noſtra,
Inter vt ipſe tuos me numerare velis:
Id mihi quàm Crœſi ditiſſima gaza, vel aurum,
Et quàm diuitiæ gratius Attalicæ:
Si fallo, mihi nec præſto ſit Phœbus Apollo,
Nec faueat cœptis docta Minerua meis:

IA. PELVSII CROT.
AD ANTONIVM CARACIOLVM

ANtoni cui ſacra patent arcana Mineruæ,
Atque dat Aonio Phœbus adeſſe choro:
Omnia quæ pangis digniſſima carmina cedro,
Hìc atque hìc volitant docta per ora virûm:
Pro bonitate tua me ſummis laudibus ornas,
Et fers verſiculos ſemper ad aſtra meos:
Dij tibi Nelidæ concedant Neſtoris annos:
Mercuriusq; aurum donet habere Midæ.

AD IVLIVM CAESAREM Caraciolum.

QVæ fuit ætherei Pallas Iouis orta cerebro,
Te inſtituit cunctis artibus ingenuis,
Virtutisq; viam teneris monſtrauit ab annis,
Iecerat Alcides quà ſibi ad aſtra gradum:
Edere quid ceſſas diuina poëmata? nonne
Feciſti plenus Numine Pieridum?
In tenebris Opici occultent ſua carmina vates,
Queis nondum Phœbus laurea ſerta dedit.
Ede, tua euandent naſum doctiſſime Iuli
Quem Critici et Momi Rhinocerotis habent.

AD GABRIELEM QVARANTAM

QVaranta ante alios moderator ſedule pubis
Quam noſtro genuit tempore Parthenope:

Quid non doctus agis cathedra cum pādis ab alta
Quod Cicero ſcripſit, vel Maro concinuit?
Clio tuo mihi Muſa loqui tunc ore videtur,
Dulcis, & in labris Pitho ſedere tuis:
O vtinam longum viuas, pubemq; tenellam
Edoceas quidquid te docuere dei:
E menſusq; æui ſpacium, ſtellante in olympo
Cum Dijs veſcaris nectare, & ambroſia.

AD NICOLAVM ANELLVM Pacchum Medicum, & Philoſophum.

CAndide cū logicen profiteris Pacche: diſerti
Miramur iuuenes, grandiloquiq; ſenes:
Quandoquidem tenebris velata ænigmata nulla
Sunt: quæ non fiant te profitente palam.
Quid tantū Venetus Paulū mihi iactat ad aſtra?
Inq; ſuo ore Petrum ſemper Iberus habet?
Parthenope cunctis ſe præfert vrbibus: & te
Vertice ſublimi ſidera pura ferit.

AD DONATVM RVFFINVM.

PErpete qui ſtudio Phæbum Ruffine fatigas,
Qui Muſas, & habes ſemper in ore nouem:
Cum veterū auctorū pueris monimenta recludis,
Obſtupeo ingenij munera rara tui.
Melle tibi Hybiæo tunc dulcior ore loquela

Defluit, appares doctior atque aliјs:
Hunc colite vt magnum delapſum numen olympo
Imberbes iuuenes nocte dieq; virum:
Nobilium pubem digniſſimus eſſe videtur,
Qui in media ſolus Parthenope doceat.

AD FRANCISCVM SANGRIVM
Turis Maioris Machionem.

TEntantem Franciſce tuas extollere laudes
His me Calliope vocibus admonuit:
Vberiore canant Franciſcum carmine vates:
Non eſt hæc humeris Sarcina digna tuis.
Pertenui heroem magnum comprendere laude,
Eſt illum culpa deterere ingenij.

AD FERDINANDVM CARAphам Tempſæ Marchionem.

SI memoro heroas quos Martia Roma creauit,
Atque duces Siren quos tua clara dedit:
Ferdinande mihi cunctis præſtare videris
Moribus, ingenio, nobilitate, fide:
Illi ſe iactent gentes domuiſſe ſuperbas:
Rebus in his omnes hos ſuperaſſe tuum eſt.

AD ANTONIVM CARAPHAM
Montis Draconis Ducem.

ANtoni ſoboles quo ſe Caraphia cælo
Aequat, et eximiæ laudis honore tumet:
Quòd tantũ laudas Platani quos ſtratus in vmbra
Conſcripſi verſus, gloria tota tua eſt.
Non hos Pierides, non hos dictauit Apollo,
Egregium vatem principis aura facit.
Tunc tibi Vergilius, vel Horatius eſſe videbor:
Cum mihi Mæcenas, vel mihi Cæſar eris.
Tunc me mutatum mirabitur orbis olorem,
Ad vada Sebethi te canere alta tui:
Atque tuum nomen volitantem ferre per auras:
Inſerere & laudes ſedibus æthereis.

AD IO. HIERONYMVM AQVIVIVM
Hadrienſium Ducem.

MAuortis ſequitur bellator caſtra: trophæa
Gaudet et ad patriam parta referre domũ:
Venator canibus nemorum loca deuia luſtrat,
Hirſutasq; capit nocte dieq; feras:
Vitam audax fragili committit nauita ligno,
Et facit huc illuc per maria alta viam;
Agricola incuruo campos proſcindit aratro,
Atque ſuo lætus tempore farra metit:

IA. PELVS. CROT.

At tu qui Cyrrha nutritus in vrbe, Camænis
Sæpius Aonias in tua vota vocas:
Carmina componis, quæ nunquam deſtruat ætas,
Poſteritasq; libens tempus in omne legat.

AD THOMAM COSSVM.
iuuenem elegantiſſimum.

Dum quærit Martem magna ſtipante caterua
Alma Venus, roſeis conſpicienda genis:
Obuius eſt illi Mars alter Coſſus in armis:
Cypria Mauortem credidit eſſe ſuum.
Sed poſtquam poſita detexit caſſide vultum,
Vultum quo toto pulchrius orbe nihil,
Sic flammis accenſa nouis Cytherea, Gradiuum
Hic dixit ſuperat viribus, & facie.
Si in cœlum humanos transferre liceret amores,
Hic ſolus Veneri gaudia nocte daret.

AD ALFONSVM SALMERONEM
Theologum, & concionatorem.

IN cœlis Alfonſe deus tibi præmia reddat
Te digna, hoc ſumma pro pietate meres.
Te orante omne ſcelus caligne mergitur atra:
Et redit ad frugem vir, mulierq; bonam.
E ſyluis homines qui traxit ad oppida vates
Threicius, tangens plectra canora Lyræ:

Cedit iure tibi: nam linguæ flumine matres,
Atque viros, ſuperos attrahis vſque choros,

AD IVLIVM SANCIVM.

DE quot clara viros veteri generauit in æuo,
Atque hoc in noſtro tempore Parthenope,
Ingenio, & Genio cunctis præſtare videris,
Idem iudicio, conſilio, atque fide:
Hinc celebris teneras te fama extollit in auras:
Laudat & hinc mores vir mulierq; tuos:
Pro tanta probitate colam te ſemper Iuli
Ipſe ego: terrarum tu mihi vbique iube.

AD FERDINANDVM GATTVLAM Poëtam lepidiſſimum.

SI nondum Fernande tibi lanugine ve[illegible]
Malæ, & Vergilio carmina digna facis:
Cum matura virum fortem te fecerit ætas,
Emittes Muſis munera digna nouem:
Felices qui te talem genuere parentes:
Grandis eris Latij gloria gymnaſij.

AD IOANNEM SANCIVM NATV maiorem Abbatem.

SAnci qui dulcem degis ſine crimine vitam,

Aeterniq; facis iuſſa verenda dei,
Ora illum Meliten ſæuo defendat ab hoſte,
Liberet, & cieuis obſidione graui;
Vndique Threicius circunſtat miles: & illis
Continuè intentat verbera, vincla, necem:
Vt deus exaudit iuſtorum vota: nocentum
Sic idem ſurda reſpuit aure preces.

AD BALDVINVM MONTIVM Atellanorum Pontificem,

Balduine opere, & verbo qui iuſſa Tonantis
Summi imples, laudes illius ore tonans:
Dignus es Andæi laudari carmine vatis:
Nil maius Latiæ concinuere tubæ.
Nam quoties cælum virtutem tollis ad altum,
Atque idem vitium Tartara ad ima fugas:
Relligionem ornas, noſtriq; es temporis alter
Paulus defenſor ſedis Apoſtolicæ:
Concedant vtinam tibi lætam fata ſenectam,
Et poſt Elyſii rura habitare loci:
Te maiore canam verſu, & maioribus auſis,
Maiores numeros cum mihi Muſa dabit,

AD CAROLVM BALDINVM Iuriſconſultum.

Carle decus patriæ, ſpes, & tutela tuorum,

Parthenope in media qui ſacra iura legis
Quis vitam ſine labe tuam, mentemq; benignam
Quis ſanctos mores non ſuper aſtra vehat?
Quis non mellifluo quod nectar fundis ab ore,
Obſtupeat? quis te non amet, atque colat?
Perge aperire tuis oro ſenſa abdita legum,
Et iuris nodos ſoluere diſcipulis:
Nam qui gymnaſii moderatur Laurus habenas,
Donabit meritis præmia digna tuis.

AD FABRICIVM VILLANVM Iuriſconſultum,

TE ne etiam immites ſuperi, immitesq; ſorores
Lanificæ miſero præripuere mihi?
Crudeles ſuperi, crudelia fata, quis vnquam
Non feret indigno tam malefacta animo?
Non vos eximiæ potuerunt frontis honores
Flectere, non facies ſidere ſplendidior?
Non ſancti mores? non dulcis gratia fandi,
Hyblæos fundens Mopſopiosq; fauos?
Ah duros obitus? ah funera dura? querelæ
Quæ poterunt noſtris luctibus eſſe pares?
Non ſic Euridices fleuit Rhodopeius Orpheus,
Aeneasq; ſuæ coniugis interitum,
Ipſe vt ego mea te cariſſima Laodamia
Dimidium cordis, dimidiumq; animæ,

Te exoriente die, te decedente requiro,
Atratuſq; graues multiplico gemitus.
Omnia decedens rapuiſti gaudia tecum;
Triſtitia eſt animo ſola relicta meo.
Te propter noctes vigilo, te propter eandem
Prætereunt longi non ſine nube dies;
Si qua prius ſoboles de te ſuſcepta fuiſſet,
Cuius in effigie tu mihi multa fores,
Mitius has ferrem plagas, nec funera tantum
Sentirem, quæ me nocte dieq; premunt:
Hæc mihi curarum molem de mente fugaret,
Triſtitiamq; omnem pelleret ex animo.
Nunc mihi cum nullos ſperem de coniuge natos,
Cur non Morte magis ſit mihi vita grauis?
Vxor nulla placet, quamuis de ſanguine priſco
Sit nata, & docta Pallade nobilior:
Eſte procul teneræ Nymphæ, procul eſte puellæ
Formoſæ, atque alios ſollicitate viros.
Tunc ego vir fuero alterius, vel amator amicæ,
Cum nihil Auſonius Tybris habebit aquæ.
Tunc alia in noſtro ponet ſua corpora lecto,
Cum Siculis flores non dabit Enna ſuos:
Per plateas ſolus viduatus compare turtur
Inter mortaleis viuere dicar ego:
Vnus iūxit Hymē, Thalamus nos iūxit, & unus
Vnus iunget amor, iunget & vna fides,
Solus agam noctes nimboſæ frigore brumæ,

Aeſtiuoq; dies tempore ſolus agam:
Heuh cur vita taces? heu cur reſponſa vocanti
Non das Fabricio Laodamia tuo?
Formoſa eſt omni facies orbata nitore,
Et tecum in paruo marmore clauſa iacet:
Quò mores abiere tui? quò frontis imago?
Et qui de niueis dentibus orbis erat.
Heu vbi ſunt oculi cæli duo ſidera? labra
Heu vbi Puniceo tincta colore manent?
Omnia Mors rapuit, rapuerunt omnia Parcæ,
Parcæ, & Mors odio quæ mihi ſemper erunt.
Illius immites rupiſtis ſtamina Parcæ,
Quæ fuerat nullo tempore digna mori:
Tu quoque Mors illam rapuiſti pallida: mecum
Quæ fuerat longos viuere digna dies.
Si mihi non eſſet colubris armata Megæra
Flectenda, & triplici qui petit ore canis,
Non dulci fretus cithara, aut legalibus armis,
Immenſa cauſæ ſed bonitate meæ,
Auderem Stygij deſcendere Ditis ad vmbras,
Tertiaq; Inferni regna videre loci.
Hei mihi quos luctus hei quos extincta dolores
Affers Fabricio Laodomia tuo:
Cur ego non potui taleis effundere fletus
Matris ad exequias, vel patris inferias:
Aut cur dum moriens moriturum deſeris, eheu
Non potui tecum Laodamia mori?

Felices obitus, felicia fata fuiſſent,
Morte vna extinctos clauderet vrna duos:
Sed quia ſic placitum fatis, abeunte ſuperſtes
Quod reliquum eſt vitæ te ſine tempus agā,
Pro officio, et ſancto quo te complector amore,
Et pro ſeruati fœdere connubij,
Ferali ad tumulum redimitus tempora fronde,
Ipſe tuis ſoluam manibus inferias,
Hîc lacrymas ſine fine dabo, ſuſpiriaq; imo
Corde traham, et nomen ſæpe vocabo tuum,
Purpureas, niueasq; roſas quæ veris adulti
Munera ſunt lacrymis terra rigata feret,
Inq; tuo tumulo ſaxo de diuite facto,
Surget odorata Lucus ad aſtra coma,
Hîc mihi Hamadryades ſparſis poſt terga capillis
Hîc taxo implicitus Phœbus Apollo caput,
Sebethusq; pater turba comitante dearum,
Quas Mergelline, Pauſilypusq: tenet,
Fauni ſemimares, & capripedes Satyriſci,
Panes, & agreſtes cetera turba chori,
Ter tumulum luſtrent lymphis, ter flebile carmē
Hic iterent, manes ter mihi & ore vocent,
Terq; deos orent vt molliter oſſa quieſcant,
Nullus & in cineres ſæuiat Auſter aquis,
Interſint Charites, interſit docta Minerua,
Dum perago exequias coniugis ipſe meæ,
Inijciantq; manu caſia plenos calathiſos,

Et cum Corycijs alba liguſtra crocis:
Hic ego dum cancri feruent, atque ora Leonis,
Et ſitiens patulos Sirius vrit agros,
Euoluam rigidi ſinuoſa ænigmata iuris,
Cæſaris & ſacri dogmata Pontificis:
Intrepida vt trepidos defendam voce clientes,
Et ſoluam miſeris ferrea vincla reis:
Iuraq; syluicolis dicam, rudibusq; colonis,
Et Nymphæ diſcent abdita ſenſa fori:
Hic mecum querulo reſonabunt carmine valles,
Vxorisq; meæ nomen ad aſtra ferent:
Inscribent vrnæ titulos, hîc cara quieſcit
Fabricio coniux Laodamia ſuo.
Dumq; greges nullo paſcunt cuſtode per herbas,
Mugituq; replent mollia prata boues:
Accedent tumulo paſtores Parthenopæi,
Plenaq; candenti cymbia lacte dabunt:
Atque parentantes vitularum cæde quotannis,
Ter ſpargent patrio more cadauer aqua:
At tu ſiue colis ſedes ſtellantis olympi,
Seu nemus Elyſium rura beata tenes:
Viue precor felix, & nulla obliuio lethes
Fabricij immemorem te ſinat eſſe tui.

AD BERARDINVM ROTAM

Quonam vsque vxoris fatũ lugebis acerbũ?

Quonã vſque atratus tegmine mẽbra teges?
Pone modum lacrymis, triſteis depone querelas,
Et quos ex imo pectore das gemitus:
Sit rupiſſe ſatis muliebri more capillos,
Poſt obitum multos & lacrymaſſe dies:
Non fratres Phrygiæ ſemper fleuere ſorores:
Aut Hecube natos crine ſoluta ſuos.
Non ſemper pluuius, non ſemper nubilus aer,
Nec ſemper ventis tollitur vnda ſali:
Te ſeu Sol oritur, te ſeu Sol occidit: eheu
Aſpicit humentes imbre rigare genas:
Naturæ dices primo ſub flore iuuentæ
Conceſſit nullo tempore digna mori:
Nil eſt: humano quidquid de ſemine natum eſt,
Interit; & fati ſtat ſua cuique dies.
Lege hac nata fuit, lege hac deſcendit in orbẽ,
Vt ſemel indomitæ Mortis adiret iter:
Sæua Herebi parcit nulli regina profundi,
Incuruaq; omnes Mors fera falce metit:
Non hæc muneribus, non hæc pietate mouetur,
Omnibus eſt Pario marmore dura magis;
Prô ſcelus infandũ? carum hæc me infante parẽ-
Suſtulit, et matrẽ contumulauit humo (tem
Hæc eadem germane mihi te frater ademit
Paule, & ad Elyſias iuſſit abire domos.
Sed nihil effecit, tua docta poëmata viuent,
Et tua perpetuò fama ſuperſtes erit,

Sic Roſa quæ per ſe viuit tua Portia cœlo,
Carminibus viuet ſemper in orbe tuis,
Pubeſcent tumulo violæ. pubescet amomum,
Et cum purpureis lilia cana roſis,
Mitte igitur lacrymas, ſuſpiria triſtia mitte,
Quæ miſer ex imo corde petita trahis,
Et te dum ſeruant, quæ perdunt omnia Parcæ,
Vxoris caræ ſis memor vsque tuæ.

AD ANNAM PVELLAM.
Formoſiſſimam.

Arma trucis curēt Martis qui caſtra ſequūtur,
Agricolæ ſegetes, & ſata læta boum,
Aſtrologi curſum Phœbi, Phœbiq; ſororis,
Paſtor oues, ventos nauita, auarus opes,
Cura erit vna mihi formoſam verſibus Annam
Dicere, & alternis tollere ad aſtra modis,
Non ſimilem huic noſtræ matres peperere puellā,
Huic ſimilem ætheræ non genuere deæ,
Formoſa facie diuosq;, hominesq; perurit,
Combuſtosq; ſua ſub ditione tenet,
Quid mirum noſtrum ſi flagrat pectus amore
Illius? & tantus ſerpſit ad oſſa calor,
Si cantat, placidæ coeunt ad carmina Muſæ,
Si ridet, riſum Cypria pulchra probat,
Si caput exertat tectis, aperitur olympus,
Si retrahit, Solis nullus in orbe nitor,

Eſt Pallas ſi pingit acu, ſi læta per vrbem
Incedit, coniux, & ſoror alma Iouis:
Hinc Amor accendit faculas, hinc ſpicula ſumit,
Cum vult corda hominum, et corda ferire deũ:
Hinc Cytherea petit ceſtum, cũ Martis amorem
Acris ad amplexum vult reuocare ſuum:
Ante pererrabit montana cacumina delphin,
Viuet, & in medio torua leæna mari:
Pectore quàm noſtro tam pulchra excedat imago
Aut tantus noſtro corde recedat amor:
Spiritus exactis at poſtquam curſibus anni
Ibit in Elyſium regna beata nemus:
Illic illa meo ſemper verſabitur ore,
Errabitq; oculis nocte dieq; meis.

AD IOANNEM MARTINVM *iurisconſultum Seuerinatem.*

AD patrias ædes tandem Martine remigras;
Immenſo victus gentis amore tuæ;
Iure tuam præfers externis vrbibus vrbem,
Dum cupis optata commoditate frui:
Sic Ithacam ſaxis affixam cautius Vlyxes
Præpoſuit terris omnibus, atque locis:
Splendidior multo eſt alieno patrius igne
Fumus, & immemorem non ſinit eſſe ſui:
Eſt ego cur fugiam ſi quæris forte Crotonem

Acceptus patriæ nemo propheta ſuæ:
Durius eſt proprijs in tectis viuere egenum,
Quàm patria, & patriæ ſede carere ſuæ.
Dulce ſolum cunctis fateor natale, ſed omni
Eſt omnis forti patria terra viro:
Cara Seuerinæ tibi ſunt: mihi mœnia Romæ:
Ante alias vrbeis quæ placet vna mihi.
Illic tu deges, hîc ipſe beatius; illam
Optarent homines, hanc habitare dei.

AD REGEM PHILIPPVM, VT *ferat opem In Meninge obſeſſis.*

RVmpe morā, da uela notis, ſume arma Phi-
Et ſolue Hiſpanos obſidione tuos, (lippe,
Nunc tempus curuo deducere littore puppes,
Et ferre intrepidos ad fera bella viros,
Turca ferox vallum reſcindit, & aggere foßas
Implet, & obſeſſos nocte dieq; premit,
Iam vitium faciunt acta teſtudine muri,
Iam Numidæ infreni vincula ſæua parant:
Marte fatigati longo, terraq; mariq;
Vlterius nequeunt prælia ferre tui,
Eſt mare pro dulci lympha, pro frugibus herbæ,
Pro ſomno excubiæ, pro requiete labor;
Deformes fecit macies, promiſſaq; barba,

Et turpi ſquallent obſita membra ſitu:
Rex inuicte ſines de noſtris Turca triumphet?
Ponatq́, & in Libycis tanta trophæa iugis?
Carpe viam, venies ſpolijs decoratus opimis:
Pendebitq; alto barbara præda tholo.

AD CAROLVM QVINTVM Imperatorem.

DEſinite Herculeos tantum iactare labores
Pierij vates, Aoniæq; deæ:
Auſtriadæ altiſono verſu cantate triumphos,
Nil Carlo tellus maius in orbe tulit:
Pannonico in campo magnæ propè tecta Viennæ
Deleuit Turmas barbare Turca tuas:
Perdomuit Pœnos, & te Germania, verum
Dum vera ſpolias relligione deum:
Orbe alio audita eſt virtus tua Carole: mundus
Nominibus tantis non ſatis vnus erat.

TVMVLVS CAROLI QVINTI Imperatoris.

QVis tegeret Carlum mundis eſt orta duobus
Lis grauis: arbitrium Iuppiter vnus habet
Eſt Europa meus, non eſt tuus India clamat,
Defendit cauſam mundus vterque ſuam:

Iuppiter auditis amborum litibus, inquit,
Cedite iam, Carlum ſidera ſumma tegant.

AD PETRVM PORTVCARERIVM *præfectum equitum, & conſiliarium Collateralem.*

Cvm tibi cõmiſit Turmas Paraphanus Iberus
Auſpicio vt gereret bella cruenta tuo:
Indoluit Phœbus; doctæ indoluere ſorores,
Hac & te Marti lege dedere truci:
Vt merita poſtquam pœna multaueris hoſtem,
Et pones patrio parta trophæ atholo:
Inuita ad Muſas Bellona, & Marte redires,
Phœbeiq; eſſes miles vt ante chori.

TVMVLVS CAROLI QVINTI *Imperatoris.*

Heus q̃d Praxiteles tumulũ de marmore ſcalpis?
Vrna aliꝭ: Carlo conuenit ara magis:
Ara deos decet: humanæq́; ſub imagine formæ
Hic deus Auſtriades non homo ſtulte fuit.

Alter tumulus de eodem,

Qui paruo Auſtriades claudit̃ marmore Carlus
Cui geminus viuo ſubditus orbis erat?
Nõ Tanaim, aut Gãgẽ facite, Herculeasq; colũnas
Pro tumulo Auſtriadæ ſidera conueniunt.

AD ALFONSVM SALMERONEM Theologum, & concionatorem.

NOn ſic Amphion cum Cadmi condidit arcē,
  Ad numeros fecit currere ſaxa ſuos:
Nec ſic cum manes reuocauit coniugis Orpheus,
  Flexit Tartareos ad ſua vota deos;
De cathedra enodas vt cum tu dogmata Chriſti,
  Matres, atque viros ad tua verba trahis,
Seſſitat in labris tibi tunc bona Suada Periclis,
  Voxq; fauis Hyblæ dulcior ore fluit,
Tunc tibi dicendi vis eſt torrentior amne,
  Quem ſubita hybernis imbribus auxit hyems,
O vtinam viuas Cumeæ virginis annos,
  Et ſuperes Pylij ſecula longa ſenis.

AD PETRVM VINCIVM SICVLVM Herbitenſem.

QVi teneros cantus tam dulci fundit ab ore,
  Vincius a uinco nomina Petrus habet:
Sirenum vincit voces, et Pana canendo,
  Quidquid & arguto gutture cantat olor:
In pelago pandos mouit delphinas Arion,
  Orpheus attraxit ad ſua verba feras:
Hic facit ad cantum Superos deſcēdere ab alto,
  Et noſtra Infernos ſcandere tecta deos,

AD RAMVNDVM FVCCARVM.

FVccare cui cantu proles Acheloia Siren
Cedit, & aurata Phœbus Apollo lyra,
Si tibi terrarum faſces Fortuna dediſſet,
Ornaſſetq; tuum flaua tiara caput;
Pacato regeres miro moderamine mundum,
Saturniq; forent aurea ſecla ſenis.
Sed quando es noſtro regi tam carus amicus,
Non opus eſt regnum nec diadema tibi.

DE LILIIS PII IIII PONTIFICIS Maximi.

SIdere ſub cæli niueo veſtita colore
Partibus in cunctis Lilia terra creat;
Lilia Pontificis tulit aurea, ſecula verè
Aurea Saturni nunc rediere ſenis,
His nigra aſſurgāt vaccinia, cana liguſtra,
Pallentes violæ, purpureæq; roſæ,
His vates ornent frontem, ſua tempora Muſæ,
Sāctus Amor pharetrā, doctus Apollo lyram.

AD IOANNEM PAVLVM Flauium.

Campanæ pubis rector doctiſſime Flaui

IA. PELVS. CROT.

Iure poteſt de te Phœbus Apollo queri,
Nam dum tela geris, dum bella cruenta minaris,
Deſeris Aonij rura, nemusq; chori,
Quid tibi cum gladio? quid cum Mauorte cruẽto?
Qui vates hedera tempora cincta tenes?
Arma ferant alij, tu docta volumina verſa,
Quæ faciunt homines viuere poſt obitum,
Sic tibi Pierides debebunt numina vatum,
Deſinet & de te Phæbus Apollo queri.

AD DISCIPVLOS IOANNIS *Baptiſtæ Rinaldi.*

CVrrite diſcipuli ſitientes, currite proni,
Et riguo triſtem fonte leuate ſitim:
Baptiſta eloquij fons nectare dulcior omni
Miranda iuuenes adiuuat arte rudes,
Ex hoc vos latices, ex hoc haurite liquores,
Non ex Aonio, Pierioq; lacu.

AD CARITHEAM.

CEruicem quoties profert Charitea feneſtra,
Sidereum toties pandit Apollo iubar
At cælo toties radios abſcondit Apollo,
Ceruicem quoties in ſua tecta refert.

AD MYRTIAM.

NOn ego purpureas poſſū tibi mittere veſtes,
Quas facit e molli vellere docta Tyros:
Gaudes carminibus: tibi mittere carmina poſſū
Plurima, quæ nulla deſtruat imber aqua,
Crede mihi veſtes obeunt, auriq; talenta,
Effugiunt lethi carmina ſola manus.

AD IANVM BAPTISTAM Ianuarium Medicum, & Philoſophum.

IAne quid expectas totum vulgare per orbem
Carmina quæ nulla ſunt peritura die?
Nobilitata tuis prouincia noſtra libellis,
Vertice ſublimi tanget vtrunque polum,
Imprime ne Calabri tanto frandentur honore,
Et tua ſit tantis vrbs viduata bonis.
Ille reformidet linguæ mala verbera Momi,
Qui nondum didicit verba Latina loqui.
Tu veteres inter vates, vatesq; recentes
Es fama magnus, magnuus & ingenio.

IN POETAM VINIPETAM.

Si bibula vini tua carmina digna fuiſſent,

Miſiſſem veteri dolia plena mero.
Sed quoniam tineis, & blattis digna fuere:
Sunt infelici cuncta cremata foco:
Digna tuis donis tibi Phœbus mittat ab alto
Præmia: non tali munere vina meres.

IN MEVIVM.

QVid tibi Peridas prodeſt coluiſſe tot annos
Meui, & Phœbeos edidiciſſe modos?
Si tibi diuitiæ nullæ ſeruantur in arca:
Si Bacchi, & Cereris munere ſemper eges?
Pelle procul Muſas a te, procul abijce Phœbum
Sertaq; de canis florida deme comis:
Si ſapis incipies terram proſcindere aratro,
Et tenero miteis gramine paſcere oues
Vixiſti vates poſtquam mendicior Iro:
Agricola vt poſſis ditior eſſe Mida.

IN EVNDEM.

QVæritis e Craſo quare ſit Meuius Irus?
Et quare trita corpora veſte tegat?
Dum ſtudet Aeetam Phryxæo vellere regem
Exuere: amiſit quas cumularat opes.

IN EVNDEM.

QVis non hîc hominũ curare negotia credat
Fortunam? & caſu cuncta creata regi?
Meuius humana qui ſic florebat in arte,
Qui præceptores primus, & inter erat,
Piſtrinis operam circum conſumit agendis,
Et ſibi Plautina quæritat arte cibum.

IN EVNDEM

QVid tibi cũ doctis Muſis, & Apolline Meui
Si in parteis alias te mola ſcabra trahit?
Quæ cum piſtrinis Phœbo commercia? Muſæ
Vertere pumiceas non didicere molas.
Nonne fuit ſatius plenam exhauſiſſe crumenam
Dum tibi Phryxeæ vellera quæris ouis?
Piſtrinis vtinam te hoc pacto dedat Apollo,
Illinc vt ſi te ſoluerit, ipſe molat.

IN VESPIVM.

VEſpius eſt bellus præceptor, & ordine bello
Bellis diſcipulis dogmata bella legit:
Hiſtorias bellas, & bella poëmata pangit:
Bellaq; cum bella coniuge bella gerit:
Enodat bellè ſcirpos, ænigmata bellè.
Bellaq; de bella Pallade verba facit:

Hic bellus quid ſit præceptor, dicam ego bellè,
Meuius eſt bellus, bellus, & eſt Bauius.

AD ALFONSVM PINELLVM iuriſconſultum.

HVc Alfonſe redi, te diſcedente puellæ
Aoniæ ſocium deſeruere tuum:
Tecum vna in Lauri venerunt mænia: tecum
Nunc ex arboribus mellea poma legunt.
Aut tecum intrepida defendunt voce clientes,
Aut ſoluunt miſeris ferrea vincla reis.
Dum tua te Laurus, tua dum te Daphnis habebit
Oro mei viuas nocte dieq; memor:
Et tibi ſi crebrò vis multa poëmata mittam:
Creber Auellanas tu mihi mitte nuces.

AD GABRIELEM ZERBVM iuriſconſultum.

DE tot conſultis iuris, legumq; peritis
Quot noſtro genuit tempore Parthenope
Ingenio melior nemo eſt, & flumine linguæ
Te Graia, & Latia Zerbe canende lyra:
Quis te cum ſoluis ſinuoſa ænigmata iuris,
Aurea non ſummis tollat in aſtra modis?
Bartholus, & Baldus legum duo robora: tantā

Non in clamoſo laude fuere foro
Intrepida trepidos defendis voce clientes,
Et noxæ miſeros eximis vsque reos,
Crede mihi ſeros tangent bona tanta nepotes,
Turgeſcetq; tuo nomine poſteritas.

IN MORTEM GABRIELIS SANCII

Non ſic Sebethus riſit, cum Sancius hauſit
Lucem, deſcendens ſedibus æthereis,
Vt Tyberis fleuit, fato cum merſus acerbo;
Idem conſcendit tecta parata pijs,
Parthenope genuit, Roma abſtulit, hæc eadē poſt
(Par vt erat) patrio reddidit oſſa ſolo.

AD ISABELAM SANCIAM.

Febre iaces Iſabella toro, viſq; efferá morbi
Exeſt in roſeo quod nitet ore decus,
Heu de ſidereis abijt iam fulgor ocellis,
Luridus infecit pallor vtraſque genas,
En quid agis fera Parca? ſecas filum Heroinæ?
Quæ ſenis eſt Pylij viuere digna dies?
Ah Mors, ah Lacheſis talem hinc auertite caſum
Ne tantùm eueniat dij prohibete nefas,
Huic ſimilem nunquā peperit Natura, nec vnquā
Gignent in terris ſecla futura parem.

Occumbant facilis quarum eſt iactura, necare
Hanc: Solem eſt mundo tollere de medio.

AD IANVM CAESARIVM Conſentinum præceptorem ſuum.

Quæ tibi Muſarum genitori carmina mitto,
Non corrugata perlege fronte precor:
Non mihi ſub fago dictauit Pieris: ipſe
Feci ſub platani tegmine Marte meo:
Terque quaterq; rogo, ſi non ſunt digna: Marinæ
Ne dones Thetidi, tardipediue deo:
Si te digna velim tibi mittere carmina: mittam
Sola tibi quæ tu docte poëta facis,

IN MEVIVM, ET BAVIVM

Meuius et Bauius rixantur de vmbra aſinina
Et magis Arcadico ſtultus vterq; aſino eſt,
Appulus eſt alter, Calabris in montibus alter
Natus, inaudita barbarie ambo pares.
Si iudex eſſet iuſtus, damnaret vtrunque
Aut ad piſtrinum, vel iuga longa ratis.

AD HYELLAM

Non centena darem tibi millia baſia labris,

Si quot ſufficiant quæris Hyella mihi.
Littore ſed Libyco numerus quã magnus arenæ,
Vereq; quot flores Trinacris Enna parit,
Quotq; cadunt frondes Autumni frigore primo,
Et quot in Hyrcana ſunt regione feræ,
Quot cælo ſtellæ, quot ſunt & in æquore piſces,
Quotq; homines Bacchus nutrit, et alma Ceres.

AD CICELLAM.

Es glacies, es flãma mihi formoſa Cicella,
In me ex igne gelu, de niue flamma venit.
Nam quoties a me nitidos auertis ocellos,
Sum niue Hyperborea, frigidiorq; gelu:
Sed quoties ad me miſerum conuertis eosdem,
Ardeo, vt accenſis pinea teda focis,
Vel noſtrũ in glaciẽ, vel in ignẽ pectus abibit,
Non equidem poterit vulnus vtrunque pati.

TVMVLVS HONORATI Faſcitelli.

Qui veteres docto referebat carmine vates
Hac Faſcitellus contumulatur humo,
Quid ſtabile aut firmũ ſperes tibi in orbe viator?
Si tantum rapuit Parca maligna virum?

IA PELVS. CROT.

AD IO. FRANCISCVM LOMBARDVM Theologum.

Linque Lares Latios, Romanos linque Penates
Franciſce, & velox ad tua tecta redi,
Te ſine non poſſum felicem viuere vitam,
Te ſine ſunt miſero commoda nulla mihi,
Sit ſatis excelſæ ſpectaſſe palatia Romæ,
Et ſeptemgeminis poſta trophæa iugis,
Si te blanda tui non tangunt dicta ſodalis,
Qui te indefeſſus nocte dieq; vocat,
Te moueat pater, & nondum coniuncta marito
Germana, ac mater cara relicta domi.

AD BERARDINVM ROTAM

TV qui carminibus volucres, vẽtosq; moraris
Et pronam rapidis ſiſtis aquam fluuijs,
Moreq; Threicio deducis montibus ornos,
Et Trahis immiteis ad tua verba feras,
Berardine deos quid fratrem poscis ademptum?
Noctes atque dies multiplicas gemitus?
Flebilibus fretus numeris, & voce canora
Deſcende ad lætas, Elyſiasq; domos,
Eripe & e Lethi germanum carcere, vita
Dignior Eurydice eſt, dignior Hippolyto.
Audierit cum ſæua tuum Proſerpina cantum,
Miteſcet: fratrem reſtituetq; tibi.

AD FABRICIVM ALTIMARVM,

Ludebant gemini pueri ſine fraude, doloq;,
Ambo pares annis, viribus ambo pares,
Alterius claua percuſſit ſinciput alter,
Aurea dum volucrem iactat in aſtra pilam
Exiluit Pallas tanto de vulnere, quondam
Vt Iouis e cerebro proſiluiſſe ferunt,
Atque ait o Parcæ puero iam parcite, non eſt
Fabricius tali dignus obire nece.

AD DOMINICVM PIZIMENTIVM. Medicum & Philoſophum.

Non ego Geryonæ demiror mẽbra triformis,
Virginis aut triuiæ, tergeminiq; canis
Treis ego ſed linguas vnum te miror habere,
Atque vno ternos edere ab ore ſonos,
Nã teneros rhytmos lingua ſi pangis Hetruſca
Tyrrheno genitus crederis eſſe ſolo,
In Pandonijs Graium ſi carmen Athenis,
In Latio Latio ſi libet ore loqui,
Iam iam flebilibus quondam diſiecta ruinis
Ore potes triplici Græcia, magna loqui,
Vrbibus in noſtris nã Græca, Latina, et Hetruſca
Lingua viget, priſcum regnat vbique decus.

AD IOANNEM BAPTISTAM
Arcutium poëtam, & philoſophum.

QVid tantum innuptæ fata immatura ſororis
Defles? & lacrymis triſtibus ora rigas?
Sit deſiderio finis, non occidit, illa
Cum Dijs in cælo regna beata colit.
Illic Maiugenæ vinclo coniuncta iugali,
Veſcitur Aethereo nectare, & ambroſia.
Felices tedas, exoptatosq; Hymenæos,
Non erat humano danda puella viro:
Mitte vrnæ titulos, & adulti Veris honores,
Germanæ potius conuenit ara tuæ.

TVMVLVS OLYMPIADIS
Arcutiæ.

QVæris in hoc paruo q̃ ſit tumulata ſepulchro
Cuius, & exiguus contegat oſſa lapis?
Eſt ſoror Arcutij vatis, quæ munere linguæ
Præſtitit Aonio, Pierioq; choro.

AD FABRICIVM VILLANVM
Iuriſconſultum.

Fulgenteis tenuiſſe manu quid profuit aras?
Turcaq; accenſis dona dediſſe focis?

Quid uouiſſe Ioui ſaxo de diuite templum?
Et Phœbum blanda ſollicitaſſe prece?
Si quæ debuerat grandæui Neſtoris annos
Viuere, & Iliaci ſecula longa ſenis,
Atque pari mecum fato, vel morte perire,
Vnus, vt amborum clauderet oſſa lapis,
Eripitur coniux vita mihi carior ipsa,
Et ſi quid vita carius eſſe poteſt,
Lethæas vtinam nunquam truſiſſet ad vndas
Iuppiter horrendo fulmine Phœbigenam.
Nam quibus Hippolyti manes reuocauit ab Orco
Reſtituitq; herbis Androgeona patri,
Vxorem fortaſſe meam reuocaſſet eisdem
Ad vitam, victus vel prece, vel lacrymis.
Ah valeant medici valeant, & pharmacopolæ
Pharmaca Tartareis Dijs capienda ferant.
De nihilo pater omnipotens qui cuncta creauit.
Arbitrium vitæ, Mortis, & vnus habet,
Cum nos fata vocãt, cũ nos Mors improba poſcit
Nulla queunt hominum vertere vota deos,
Tunc nil Pergamei proſunt præcepta Galeni,
Præſidium Hippocratis nec monimenta ferũt,
Quidquid ſub Luna, quidquid ſub Sole creatur,
Atque aura quidquid veſcitur ætherea,
Serius, aut citius, legi concedat oportet.
Naturæ, & Mortis pareat imperio.
Heu ſortem miſerandã hominũ, Libitina moueri

Crudelis nulla conditione poteſt:
Non illam nummi, non illam regia tangunt
Nomina, non virtus parta labore graui:
In cunctos durum nullo diſcrimine ferrum
Stringit, & ex æquo vir mulierq; cadit:
Heu miſeranda vxor ſic te fata impia, ſic te
Tres mihi lanificæ præripuere deæ?
Cur tibi me comitem non adiunxere? iuuentæ
Cur tam triſte ſinunt tempus abire meæ?
Te ſine (per ſuperos, & vincla iugalia iuro)
In tenebris videor viuere Cimmeriis:
Nil præter lacrymas noſtro eſt in corde relictum,
Quas fundunt oculi nocte dieq; mei:
Fleui ego pullatus materno in funere, fleui
Cum patrijs ſolui manibus inferias,
Mæror at hic ſuperat, matriſq; patriſq; dolorem
Nec mirum, ambobus carior vxor eras.
Cur Mors tanta mihi turbaſti gaudia? cur me
Orbaſti tantis inſidioſa bonis?
Tu iubar æthereum Phæbi, Phæbiq; ſororis
Lampada, tu dempſti ſidera clara poli?
Non licet vlterius per te circundare collo
Bracchia, nec mammas tangere turgidulas
Non licet vlterius faciem ſpectare venuſtam,
Quæ poterat vitam ſola beare meam,
Non audire datur ſermonem ex ore fluentem
Melle magis dulcem, Cecropyſq; fauis.

Dum viuam, tibi ſemper ero ſæuiſſimus hoſtis,
Et te carminibus perſequar vſque meis,
Vt libet egelida putreſcat corpus in urna,
Vt libet Oebalius contegat oſſa lapis,
Vt libet obſcura multentur lumina nocte.
Nec ſinat ad patriæ tecta redire Charon;
Aequora dum piſces, dum ſidera paſcet Olympus
Dum Peluſiacus Nilus habebit aquas,
Vxoris noſtræ ſemper benefacta manebunt,
Et poterit nullo tempore fama mori.
Adde quod Elyſios campos diſcreta piorum
Arua colit, ſæuis non adeunda viris,
Iuppiter hîc illi meritos largitur honores,
Et tribuit factis præmia digna ſuis,
Hîc illam obſeruant formoſæ Heroides, omni
Atque ſuper cæli culmina laude vehunt,
At nos ex animo per te Mors horrida flemus.
Et querimur vacuo nocte iacere toro,
Soluimus & triſtes triſtiſſima dona ſepulchro,
Et querulo triſteis fundimus ore modos,
Tu mea non triſti dulciſſima Laodamia
Accipe Fabricij munera fronte tui,
Et ſi quid ſentis, vultu da ſigna ſereno
Maxima pars animæ Laodamia meæ,
Laodamia mei cordis pars maxima, felix
Aeternùm ſalue, perpetuumq; vale.
Annua cum fuerit Phœbo redeunte reuerſa

Illa dies, qua te Mors mihi ſurripuit,
Illa dies Thracum nigro ſignanda lapillo,
Et ſemper memori mente tenenda mihi,
Ipse tibi gemitus imo de pectore ducam,
Et ſoluam atratus manibus inferias,
Hîc mecũ volucres manibus quibus ipsa ſolebas
Ferre tuis dulcem Laodamia cibum,
Aſſiduè fundent lugubres gutture cantus,
Et facient mæſtis tecta ſonare modis,
At tu ſi tanti tangit te cura doloris,
Viue precor felix, & memor vsque mei.
Cum mutos capiet piscator in æthere pisces,
Ipse ego tunc potero non meminiſſe tui.

AD ALFONSI SANCII SENIORIS primarij Neapolitani Regni Quæſtoris & Conſiliarij Collateralis filios.

Egregij fratres quæ vos discordia vexat?
Et ſimul in patria non ſinit eſſe domo?
Heu quid flerenteis animis discordibus annos
Viuitis? ac lites vultis & arma fori?
Iungite depoſitis odijs ad fœdera dextras,
Vnaq; vos teneat, quæ tulit vna domus.
Talis amor ſociet, qualis ſociauit Atridas,
Aebalios fratres qualis & inter erat:

Velle, & nolle, animo ſit vobis omnibus vnum,
Vnus iungat amor, iungat & vna fides.
Vt qui concordes videat ſic viuere fratres:
Vos omnes vna mente calere putet.

AD FRANCISCAM LVNAM in Hiſpaniam nauigantem.

IN patrios quæ claſſe paras Franciſca Penates
Ire per vndoſum fluctiuagumq; ſalum,
Ne propera curuo de littore ſoluere nauim,
Canaq; nubiferis pandere vela notis:
Aeolus Aeolio qui claudit carcere uentos,
Neſcio quid ſalſis triſte minetur aquis:
Hoſtilesq; fretum quæ pulſant ære triremes,
Felicem curſum per maria eſſe negant,
Tutius acceſſit Ditem Rhodopeius Orpheus
Eurydices olim victus amore ſuæ:
Tutius eſt ignẽ prædatus ab arce Prometheus
Aetherea, fretus Palladis auxilio.
Si vehet aſper equus, grauiora pericla manebũt
Te: quoniam tota eſt terra referta malis.
Aſpicies ſæuos paſſim ſæuire latrones:
Inÿcient gelidos flumina curua metus,
Adde quòd in ſyluis aiunt errare Leones,
Qui comprenſa truci corpora dente vorant:
Si mea te ratio, ſi te tua commoda tangunt:

Hic auidos greſſus ſiste puella tuos.
Nil eſt Hiſpanas quod tollas verſibus vrbeis,
Atque feras patriam ſidera ad alta tuam:
Parthenope (mihi crede) hodie ſupereminet oẽs
Vrbeis, quæ Hiſpana ſub ditione manent:
Non ego multa loquar, verbo ſemel omnia dicã
Vna hæc delicias totius orbis habet.
Sed tibi ſi cordi eſt animam cõmittere ponto,
Dictaq; nequicquam te mea dicta mouent.
Neptunus tibi ſternat aquas, Venus adſit cũti,
Cæruleus facilem det Melicerta viam:
Ledæi iuuenes nautas qui ſæpe periclis
Eripiunt, claris ignibus ambo iuuent:
Hippotadesq; ſinat ventos ſpirare ſecundos,
Per placidum pelagus qui tua vela ferant:
Taurum ego ſi patrias appelles ſoſpes ad oras,
Mactabo æquoreis, cælicoliſq; deis.

AD PLACITVM SANGRIVM
Seniorem Camerotæ regulum.

Tanta tuæ grauitas, & tanta potentia linguæ,
Vt ſæua exarmes aſperitate feras:
Et quocunque velis ducas, vt Thracius Orpheus
Dulciſono cantu, dulciſonaq; Lyra:
Quid mihi fatidici vates oracula Phœbi,
Doctaq; Cumææ virginis ora canunt?

Quid mihi Chaonias quondã reſponſa colũbas,
Cornigerumq; ferunt fata dediſſe Iouem?
Chaoniæ volucres, Phœbus. Cumæa Sibylla,
Solus es & patriæ, Iuppiter ipſe tuæ:
Si tua te genitrix tunc talem enixa fuiſſet,
Roma triumphati cum caput orbis erat,
Donaſſet populo & toto plaudente Senatu,
Roma ſui imperij ſceptra regendã tibi,
Et meritò, quoniã proceres Placite inclyte cũctos
Conſilio Hiſpanos vincis, & Heſperios.

AD FRANCISCVM BRANCHALEONEM Medicum & Philoſophum.

Explanas ſophiæ quoties ænigmata ſacræ,
Et logices tenebris ſenſa adoperta aperis,
Branchaleo toties torrentior amne videris,
Quẽ ſubita hibernis imbribus auxit hyems,
Cedat Sebetho fluuius Tyberinus, & Arnus,
Nec iactet Niphum docta Sueſſa ſuum.
Parthenope ſibi præripuit decora omniã, cum te
Alite felici Branchaleo genuit.

AD VINCENTIVM NOLAM. Iuriſconſultum.

Vincenti miſero vita mihi carior ipſa,

Et ſiquid vita carius eſſe poteſt.
Certus es incuruo de littore ſoluere nauim,
Atque ire in patriam per maria alta tuam:
Neptunus tibi ſternat aquas, det flabra ſecunda
Aeolus, & clauum dirigat alma Thetis:
Me ſine cærulei ſpectabis monſtra profundi,
Et ſine me Boreæ murmura ſæua feres:
Me ſine (dum validis incumbit nauita remis)
Pones inſuetos per iuga longa pedes:
Abrūpēt placidos tibi crebra celeuſmata ſomnos
Obtundentq; tuum ferrea vincla caput.
Aſt ego dum reuehat te læti puppis ad oras
Pauſilypi: ſemper te ſine triſtis ero.
Abijciam teneros toto de pectore cantus,
Nec tangam curuæ fila canora lyræ:
Hac ſi me exoptas tam dura exoluere pœna,
Ad me quamprimum dulcis amice redi.

AD MYRTIAM.

MYrtia quæ formæ ſuperas ſplendore puellas,
Quas homines, & quas progenuere dei:
Sidereo nimium confidere parce colori:
Tempore nam paruo forma vigere ſolet.
Dum licet, indulge Genio, & cōplectere amores:
Quæ tu non carpis gaudia cuncta fluunt.
Nonne vides celeri vt curſu præteruolet ætas?

Et tacito vt properet curua ſenecta gradu?
Cum pulchram hanc faciem tempus rugabit anile
Inq; tuo roſeus non erit ore nitor:
In viduo lecto ſola, & contempta iacebis,
Qui te tunc cupiat nullus amator erit:
Nemo tuas poſcet noctes, tibi baſia nemo
Rapta dabit: nemo florea ſerta feret.
Tunc ſemel haud dices, heu cur mihi fata iuuētā
Non reddunt: aut cur non mihi forma redit.

DE PACE COMPOSITA.

Gallus, & Hiſpanus coeunt ad fœdera reges,
Et ſue mactata lætus vterque litat:
Læua tonant cæli: plæno bona copia cornu
Diuitias fundit læta per arua ſuas.
Secla renaſcētur (mihi credite) qualia quondam
Aurea Saturno rege fuiſſe ferunt:
Dicite io iuuenes, & io cantate puellæ,
Candida pax terris regnat, & omne bonum.
Henrici fauſto datur omine nata Philippo:
Cantet hymen Gallus, cantet Iberus Hymen.
Nulla dies ſoluet firmatam fœdere pacem:
Iuppiter ætherea ſanxit in arce prius.

AD CAROLVM EVBOLVM.

Sterne torū, deprome merū, Cerealiaq; arma,

Et molli viola tempora necte puer,
Nam meus Illyrica remeauit Carlus ab ora,
Atque tenet patriæ tecta beata ſuæ,
Immolet imbelleis academia noſtra bidentes,
Quas magno ob reditum vouerat ante Ioui
Nam noua ceu phœnix melior reparata reſurget
Altius & tollet ſidera ad alta caput.

DE FONTE IN MEDIA mole facto

CVrrite Pieriæ Muſæ, Aoniæq; puellæ
Currite, & in puro fonte lauate manus.
Quem circum Charites ducunt de more choreas,
Ac Venus alterno poplite pellit humum
Emanant gelidi media de mole liquores,
Dulcis & e medio naſcitur vnda mari.
Sæpius hoc viſæ Sirenes fonte fuerunt
Aurea dulciſonos tollere ad aſtra modos,
Nam poſtquã Capreas Solymanus claſſe ſubegit,
Et Surrentinas perdidit igne domos,
Seruitium veritæ, frenato piſce per vndas
Tam lætam vnanimes hunc petiere locum,
Semper vbi cãtu Paraphanũ ad ſidera tollunt,
Qui dulcem huc facili tramite duxit aquam.

AD ANTONIVM PICCOLVM.

CVm Duce Aragonio dū clauſus in arce mo-
Et ſine te maneo ſegnis, inersq; domi (raris
Nulla dies venit nobis, niſi plenā doloris,
Et nox e multis nulla quieta fuit,
Tecum vnà dulces hinc migrauere lepores,
Tecum vnà faciles hinc abiere ioci,
Nil citharæ, cantusq; iuuant, dulcesq; Camœnæ,
In gemitu totus verſor, & in lacrymis,
Si tibi ſum carus, ſi noſtra incommoda ſentis
Antoni, velox ad tua tecta redi,
Ad me nam miſerū te mox veniente, redibūt
Omnes lætitiæ, deliciæ, atque ioci.

AD MARIANVM FIRMATOREM Siculum Corleonenſem.

NAuita de ventis, de bobus curuus arator,
Opilio ſemper de grege verba facit,
Aſtrologus ſtellas memorat, ſua carmina vates,
Diues opes, miles prælia, ſcurra dapes:
Firmator Mariane oculis mihi carior ipſis
Naturam ſequitur quilibet atque ducem,
Aſt ego qui pulchræ Lalages ſum captus amore,
De pulchra Lalage nocte dieq; loquor,

AD MARIAM ARAGONIAM Iſtonij Marchionem.

SI quantũ potuit quondã Rhodopeius Orpheus
Arguto cantu, dulciſonaq; Lyra:
Tantũ ego carminibus Maria illuſtriſsima poſſẽ,
Verſibus imparibus dum tua facta cano:
Omnis Aragonio reſonaret nomine tellus,
Alluit immenſi quidquid & vnda maris.

AD ALFONSVM CAMBIVM Patritium Florentinum.

VEllere Phryxeo Colchos cum vellet Iaſon
Exuere Aeetæ barbara regna ſenis:
Heroas legit, veheret quos Pelias Argo
Phaſidis ad ſæuum quod rigat vnda ſolum:
Sic academiam media dum fundat in vrbe
Cambius, & facilem monſtrat ad aſtra viã.
Delegit iuuenes: Graios, Latiosq; poëtas
Qui ſuperent magni viribus ingenij.

AD GABRIELEM FLAMMAM Theologum, & concionatorem.

SI quoties aperis magni ſenſa abdita Chriſti
De Cathedra, & laudes illius ore tonas:

Te infidi audirent Turcæ, Nomadesq; tyranni,
Abluerent ſacri crimina fontis aqua:
Diceret Aegyptus mendacem diues Oſyrim:
Iuppiter atque Hammon cederet e Libya.
Crederet in Chriſtum noſtrum Iudæus apella,
Vreret ac ſectæ dogmata cuncta ſuæ:
Et ne plura loquar doctiſſime Flāma, ſemelq;
Finiat vt cæptos noſtra Camæna modos:
Audiat orantem te cinctum marmore pectus,
Hac ſe duritia protinus exueret.

DE NAVIBVS IN PORTV *Melitenſi ſubmerſis.*

MErgere quas nulli potuerunt æquore vēti,
Portubus in medijs obruit vnda rates:
Nauita qui nimium fidis felicibus Auſtris,
Fortunæ hinc nullo fidere diſce mari.

DE FLORE ANNAE DONO MISSO.

Non Pæſtum, nō Enna tulit te, aut ſiquis in orbe
Formoſi riguus vernat Amoris ager:
Vngue ſed e ceſto Veneris dea Flora reuulſit,
Actutum dono miſit & Anna tibi,
Felix o nimium felix flos, gratia & omnis
Hinc tibi manat honos, ſpirat et omnis odor.

IA. PELVS. CROT.

AD MARCELLVM PIGNONVM
Oriolorum Marchionem, Regentem,
et Conſiliarium Collateralem.

TRinacriam qui claſſe petis Marcelle, relicta
Parthenope, & læto littore Pauſilypi,
Non tibi Typhis opus, primum ſpirãtibus Auſtris
Qui regat, ac cælo ſidera certa notet,
In patrios parat acceſſum Baptiſta Penates,
Grande decus Phœbi, Nereidumq; chori,
Si hic tecum aſpiciet de puppe natantia monſtra,
Et tecum faciet per maria alta viam,
Non te Scylla vorax, non implacata Charybdis,
Diſcerpent rapidi nec tua vela Noti,
Noxius Aeolio claudetur carcere ventus,
Aequora Neptunus ſternet, & alma Thetis.

IN MEVIVM.

TV ne etiam Meui profiteris rhetoris artem?
Qui in triuio pueris prima elementa dabas.
Vnde tibi hæc ingens vecordia? tam nouus vnde
Eſt furor? & menti praua cupido tuæ?
Num tibi dat criſtas tam fœda in fronte cicatrix?
An quæ deformi ſtygmata in ore geris?
Ni vis explodi, ſuſceptum deſere munus.
Ad tua, & infelix barbara caſtra redi.

AD MYRTIAM.

Si tibi purpureis infigere baſia labris,
Candida vel poßem tangere membra manu,
Non ego ſtirpe hominum tantum felicior eſſem,
Verum etiam Superis, cælicoliſq; deis.

TVMVLVS CAROLI QVINTI Imperatoris.

DEſine mirari ſeptem miracula mundi
Qui totidem Auſtriadæ lector amice legis,
Pannonica eiecit Turcam regione. ſubegit
Infrenes Numidas, Lancrauiumq; ducem,
Gallorum cæpit regem, fuit addita regno
India, quæ nobis nunc nouus orbis erit:
Obſeſſam eripuit medijs e faucibus hoſtis
Parthenopen, nunc at cum Ioue regna tenet.

AD BLASIVM MONACVM.

SI te contemnit plebs indoctiſſima Blaſi,
Et tua pro nihilo carmina vulgus habet,
Ne doleas, nunquam nouit meliora popellus,
Sed plena laudat deteriora manu.
Hoc tibi ſufficiat, docti iuueneſq;, ſeneſq;,
Quod te voce vna ſidera ad alta ferunt.

TVMVLVS PETRI SCVRRAE.

NEcte apio tumulũ, da fercula, funde meracũ
Manibus hæc ſcurræ munera conueniunt:
Cũ Cerere, & Baccho, Venerẽ depinge viator:
Non alios cælo credidit eſſe deos,

AD SERTORIVM QVATRIMANVM
Patritium Conſentinum.

Nobilitant facta, & mores, vtrunq; Catonẽ,
Aeneam pietas, Hectora militia,
Te Calabræ Muſæ Sertori, & Tuſca pöeſis,
Ductumq; a priſca nobilitate genus:
Edere ne ceſſa quæ docta pöemata ſcripſti,
Aeternum nomen Calliopea dabit.

AD CAESAREM PALVMBVM
iuriſconſultum.

INgens Italicæ decus, et tutela Cathedræ,
Salue iterũ atque iterum docte Palumbe mihi:
Cui non ſoluuntur ſinuoſa ænigmata legum,
Gymnaſio in medio cum legis ipſe palam?
Te monſtrante viam, iuris, legumq; peritus
Quamprimum auditor Parthenopæus erit:
Vt multos vti te interprete poſſit in annos
Poſteritas: longos dent tibi fata dies.

AD VINCENTIVM LVCATELLVM Iuriſconſultum.

TRiptolemo ſegetes debent, viteſq; Lyæo,
Pontificis leges, Cæſaris atque tibi:
Nam genus humanum quid iura verenda iuuarēt
Si illorum tenebris ſenſa adoperta forent?
Nil adeo incultum eſt, quod ſi tractaueris illud,
Non fiat Solis ſplendidius radijs,
His tua poſteritas ſe laudibus efferet, & te
Vincenti ſummo ſemper honore colet.

AD PAVLVM LABRVTVM iuriſconſultum.

NOn Croto ſe tantum Naturæ dotibus effert,
Et Bacchi, & Cereris laudibus eſt celebris
Nec quod habet populum fortem, cæluq; ſalubre,
Hoc quantum quod te tempore Paule tulit.

DE DRAGVTE ARCHIPIRATA.

SI magnum meruit nomen Tirynthius acer,
Cum Stygios Cacum fecit adire lacus,
Quicunque ille fuit qui ſtrauit Morte Dragutem
In Melite obſeſſa, maius habere meret.
Ille boues, teneroſq; hædos rapiebat: honeſtas
Hic matres, pueros, prædia, tecta, viros.

IA. PELVSII CROT. DE SE IPSO.

Ionijs tandem Siculisq; elapſus ab vndis,
En teneo patriæ tecta beata meæ:
Optatos cerno campos, optataq; rura,
Flexiuagus liquidis quæ rigat Aeſar aquis:
Eia agite vnanimes fratres, cariq; ſodales
Mecum vnà æquoreis ſoluite vota deis:
Hi medio in pelago noſtram rexere carinam.
His portum intraui ſoſpes, & incolumis.

AD IO. ALTIMARVM MEDICVM, & philoſophum.

Debet Parthenope Altimaro, debent magis (ipſi
Ciues erepti faucibus a Lachefis:
Hic panace, & moly morbis venientibus obſtat:
Eripit, & prædam Mortis ab ore trucis.

AD IO. PETRVM ZAMPONVM Iuriſconſultum.

Si Petre quo tantum ſe parua Petilia tollit,
Quantum doctiloquo Mantua Vergilio,
Parthenope magnæ claram præpono Crotona,
Vrbem, in qua quondam Græcia magna fuit:
Pythagoras Samius cauſa eſt, cælumq; ſalubre,
Et toties Piſæ victor in vrbe Milo.

AD DECIVM BRANCHALEONEM
iuuenem eruditiſſimum.

ROmani vt Decij te ſunt ætate priores,
Sic virtute illis Branchaleo ipſe prior:
Illi arma a puero Martis, bellumq; ſequuti
Famam ipſis ſtellis inſeruere ſuam:
Ipſe ſed a teneris annis Permeſſidos vndis
Aſſuetus, ſcandes aurea tecta Iouis.
Perge igitur Patauī ſacras perdiſcere leges,
Vt facis, & Iani ſis memor vſque tui.

AD ANGELAM MESSALAM
matrem.

CAndida ſi Nemeſis dulci eſt cantata Tibullo,
Cynthia Callimacho, Lesbia vate ſuo:
Si per te celebris facta eſt tua Galle Lycoris,
Et clara eſt numeris Naſo Corinna tuis:
Atque ſuam quoque Flaminius ſi dixit Hyellam,
Nobilis in ſyluis quæ caprimulga fuit.
Quid ni ego te celebrem cantu dulciſſima mater
Angela in Angelico digna manere choro?
Nulla tuam vt famam condant obliuia Lethes,
Et niteat toto nomen in orbe tuum,
Qntō, etenim eximijs præſtantior ipſa Heroinis:
Tanto ipſe egregijs vatibus inferior.

IA PELVS. CROT.

Illi dicentur vates ſed iure petulci:
Caſtus ego: in matrem filius atque pius.

AD IO. BERNARDINVM *Terminium.*

O qui Pindaricum modularis gutture carmē
Tangis & auratæ fila canora Lyræ
Brrnardine tuus nimium Peluſius orat,
Per iunctam ſancto fœdere amicitiam,
Nuper vt immiti raptum ſibi Morte parentē
Nicoleum cantu ſidera ad alta voces:
Eius & eripias Lethæo flumine famam,
Aeterneſq; altis facta canenda modis:
Non etenim ſolum teneros tua cantat amores
Muſa, nec in ludis præmia parta ſacris,
Patre ſed amiſſo ſolatur carmine natos
Interdum: & ſocÿs conſulit vſque ſuis.

IN MEDICOS.

ITe procul medici, procul hinc diſcedite cuncti,
Pharmaca qui ægrotis veſtra bibenda datis:
Ni deus affuerit, qui proſpicit omnia cœlo,
Atque illi optatam ni ferat vnus opem:
Nil te dictâmus, nil te panacea iuuabit,
Sanabitq; tuum potio nulla malum.

Digna ſenis Pylij fueras quæ viuere ſeclum
Te medici genitrix eripuere mihi:
Sed mihi ſi vires dabit imploratus Apollo,
Atque aderit cæptis Clio vocata meis:
Angela cara tui clareſces carmine nati,
Totaq; Lethæis excipiere vadis,
Ibis in ora virûm noſtro hoc inſignis in orbe,
Elogio formæ, & laude pudicitiæ:
Addita at Elyſio caſtis comes Heroinis,
Contexes Iano florea ſerta tuo.

AD ANGELAM MESSALAM matrem.

IMpedior fletu, & lacrymis cariſſima mater,
Ne laude (vt par eſt) te ſuper aſtra veham:
O vtinam mea Muſa laboribus, & benefactis
Reddere tot poſſet præmia digna tuis.
Enixa infantem nono poſt menſe fuiſti
Me: tibi qui in partu maxima pœna fui
Natum nutrici nulli me tradis alendum,
Lactas materno lacte ſed ipſa tuo:
Vix decimus nobis exceſſerat annus, & alter,
Te Mors immiti funere merſit atrox:
Excepit tanto luctu, tantoq; dolore
Nos propè confectus Nicoleus genitor:
Qui me litterulis Græcis, Latijſq; poliuit,

Et tenerum Aonij duxit ad antra chori:
Prô dolor hic etiam fato conſumptus acerbo,
Iuit ad Elyſium regna beata nemus
Debuerat quoque crudelis me tradere Letho
Parca, atque ambobus iungere me comitem:
Dijs aliter viſum: pullatus ad Aeſaris vndam
Illorum interitum nocte dieq; querar:
Arcutius magnusq; ſophus, magnusq; poëta
Ambos Dircæo carmine ad aſtra feret:
Effundetq; vmbris lacrymas, & triſtia verba
Qui Rota Parthenopes gloria honorq; ſuæ eſt.
Si viuos inter Iouianus, & Actius eſſent,
Nec Flacco inferior carmine Flaminius,
Cotta, Fracaſtorius, Strozzæ duo lumina bina,
Et ſemper ſimilis Bembus vbique ſui,
Amborum implerent totum virtutibus orbem:
Atque duo insererent ſidera ſideribus.

AD VESPASIANVM CAVALCANtium Archidiaconum Conſentinum.

Si tibi Vergilio in verſu, numeroq; pedeſtri
Facundo ſtylus eſt non Cicerone minor,
Veſpaſiane meos extinctos morte parentes
Aut his, aut illis effer ad aſtra modis:
Sic tibi dent Muſæ dulces Aganippidos vndas:
Atque habeas faciles in tua vota deos:

Ipſe ego dum viuam, tibi grates ſemper habebo,
Et referam, vires ſi mihi Apollo dabit.

AD CYPRIANVM PALVICINVM
Ligurem Pÿ Quinti Pontificis Max. Legatum.

PAluicine pater facetiarum,
Atque idem Ligurum decus virorum,
Cum ſis iudicio patris beati
Quinti Pontificis Pÿ creatus
Legatus: bonus, elegans, piusq;
Tu ſis ipſe neceſſe: nil probare
Vir ſanctus ſolet ille: quod probatum
Non ſit, & numero ſuo abſolutum.
Ergo dum regis hoc laborioſum,
Et durum imperium negotiorum,
Sic ſtude tibi comparare famam,
(Non eges monitis meis) vt olim
Cum te patria miſit ad potentem
De rebus grauibusq;, maximisq;,
Cæſarem Auſtriadem ipſe dum valenteis
Artus ſpiritus hos reget: tibi vni
Pro tua probitate, proq; amore
Quo complecteris hos, & hos, & illos,
Quos incumbere ad artium bonarum
Delectat ſtudia, vsque, & vsque, & vsque,

Vt cliens bonus optimo patrono
Optabo cumulum omnium bonorum.

TVMVLVS FEDERICI LVPI
Iuriſconſulti Grauinatis.

ORo qui facis hac iter viator,
Scriptum perlege quidquid in ſepulchro eſt.
Vrbis deliciæ ſuæ Grauinæ,
Maximum decus vtriusque iuris,
Lux, & Aonij chori voluptas,
Hîc cum multiscio Lupo teguntur.

AD IO. FRANCISCVM LOMBARDVM
Theologum.

DVlcis, docte, & amabilis ſodalis
Franciſce Aonij chori voluptas,
Atque ingens decus vtriusque linguæ,
Ad te cum venio domum, tuarum
Tot occurſibus in tenebricoſis
Scalarum, timeo mihi miſello
Triſtem Elpenoris, Icariq; caſum.
Non cæcus Labyrinthus ille Cretæ
Ambages tot, & impeditiones
Habet, nec latebras tot arua Auerni,
Quot flexus locus hic tuus. ſoporis

Non per Cimmerios ſpecus, vel antra
Nigricantia per cauernularum,
Sed per Tænarias fores, ad Orcum,
Ad dirum Phlegethonta, Tartarumq;
Atque ipſum Barathrum rapacitatis
Ire mi videor, paro ſubire
Scalarum quoties gradus tuarum.
Non tot ſideribus ſuis olympus,
Omnes tediferæ faces, nec ipſe
Tot Phœbus radijs ſuis coruſcans,
Tantas irradiaret has tenebras.
Nefaſto ille die faber locauit,
Scalas qui in latebra hac malas locauit:
Lignumq; ex Acherontis Aesculeto
Atropi trucis amputauit harpe:
Atque crediderim ſuos parentes
Illum diſſecuiſſe,, filiosq;
Feris appoſuiſſe deuorandos.
Ni veſtigia rexeris rudente,
Et puer tibi luxerit trecentos
Claro lumine cereos micantes,
Præceps ibis ad Inferos profundos,
Ad manes Stygios, Chaosq; triſte.
Semper inſidias tibi timebis
In tam furuo aditu, & tenebricoſo,
Ne a Laruis latitantibus, malisq;
Vmbris excipiare, & opprimaris.

AD GARSIAM TOLETVM REGIAE
classis præfectum, & Siciliæ præsidem.

CVm per Dianã nõ liceret Doricæ
Statione claſſi ſoluere
Ab Aulidos: cruore ventos filiæ
Emente Atride, protinus
Fecere recto vela curſu nauitæ,
Altum petentes Ilium,
Suas Pelasga fraude vt vlti iniurias,
Lares redirent adſuos.
Tolete magnum gentis Hiſpanæ decus
Atque Italæ ſpes vnica,
Languore ſi vis maria fixa impellere
Flatusq; habere proſperos;
Tibi profundi ſunt bidentum ſanguine
Placanda ponti numina:
Coniux, ſororq; maximi Iouis tibi
Pellaciam hanc ſegnem facit:
Te inféſa ſeruat. quòd minaris oppidis
Triſtem ruinam Punicis.
Incumbe remis, temne cudelis deæ
Iram, minasq;: cærulus
Nam te minaci qui tridente temperat
Neptunus iratum mare;
Per qdquid ambit vnda canæ Tethyos
Et ſoſpitem, & ſaluum feret.

AD ANTONIVM SEBASTIANVM
Minturnum Crotoniatarum Pontificem
de laudibus Crotonis.

SEdes digna deis Croton, ſalubri
Cæli temperie, & feracitate
Bonorum Cererisq;, Liberiq;,
Cunctis vrbibus, oppidisq; cunctis
Præcellens, mihi ter, quaterq; ſalue
Olim tempora cum Miloniana
Non hæc peſſima monſtra procreabant,
Magnæ gloria Græciæ fuiſti,
Nec te pulchrior vrbs, amæniorq;
Videbatur in orbe: Sol nitebat
Tibi ſplendidius, Fauoniusq;
Flabat mollius, & ſuauiores
Tellus culta ſuis bonis colonis,
Agrorum dabat arborumq; fætus:
Claros ingenio viros Minerua,
In certamine gymnicæ paleſtræ,
Et pugnis madidis cruore Mauors
Victorem populum vſque ſuggerebant.
Samo poſthabita, & ſua relicta
Vrbe Pythagoras decus ſophorum
Te ſemper coluit, tuosq; ciueis
Artes edocuit, bonosq; mores.
Nunc virtute tui boni, & fidelis

Minturni patris artium bonarum,
Cunctarum pelagi modeſtiarum,
Certe es qualis eras; Dij, deæq;
Illi dent bona cuncta: mi miſello
Inclementia quem rotat tot annos
Fati per genus omnium malorum,
Mori, & viuere patriæ in beato
Sinu: plus oculis, meaq; vita
Illam ſemper amaui, & vſq, amabo,
Licet mittar ad vltimos Britannos,
Atque vltra Oceanum, viamq; Solis
Extra, quò penetrare nulla poſſit
Fama, quæ mihi nominet Crotonem,

AD ANGELAM MESSALAM *matrem.*

Fati dura neceſſitas
Cui non Herculea, & vis adamantina
Par eſt, te genetrix mihi
Caram plus oculis abſtulit Angela.
Quid te mater amabilis,
Ardens in Superos relligio deos,
Quid iuuit pudor, & fides,
Et prompta in miſeros dextera pauperes?
Si Mors illacrymabilis
His tot nobilibus dotibus inuidens,

Ictu lethiferæ manus
Vt de plebe humili te quoque ſuſtulit.
Sed quando eſt placitum Ioui
Sic: triſteis obitus leni animo feram,
Atque illum ter, & amplius
Orabo, aligeros inter vt angelos
Hanc noſtram ſinat Angelam
Cæleſti Ambroſia, & nectare veſcier.
Picto marmore non ego
Vrnam conſtituam, quæ cariem timet.
Sed matrem hiſtorijs meam
Flebo, & carminibus triſtiſonantibus.
Hæc noſtræ querimoniæ
Teſtes ſcripta legent Aeſarides deæ,
Donec concitus alueo
Aaſar flexiuago curret in æquora.

AD IO. ANDREAM PELVSIVM *ſui fratris filium.*

ANdrea patrui tui leuamen,
Tui deliciæ optimi parentis,
Tuæ matris, & aureæ voluptas,
Si matris, patrui, patriſq; votis
Vis ſatisfacere, & Crotoniatis
Admirantibus indolem ſerenam,
Aſſueſcea puero manu tenere

Libellos Ciceronis, & Maronis,
Miſcens rhetoricæ poëma: Lymphas
Hippocrenides inclytæ puellæ
Vt quæ Bellerophontidos miniſtrant,
Et fouent iuuenes venuſtiores,
Spernentes Venerem, Cupidinemq;,
Morbum vt peſtiferum, & malum venenum,
Per Parnaſſia rura, per vireta
Sinant te ſpatiarier Mineruæ:
Ante & quàm tibi veſtiat iuuenta
Os lanugine, dent habere nomen
Boni rhetoris, & boni poetæ.

MVSAE AD PETRVM PORTVCARErium Magiſtrum equitum, & Conſiliarium Collateralem.

MVsæ Pierides nouem ſorores,
Proles maximi, & optimi Tonantis,
Nec ſolum Petre nos, ſed elegantes
Omnes te Veneresq;, Gratiæq;,
Rogamus quater, & quater precamur,
Quod factu facile eſt, tuaq; dignum
Grandi, & eximia benignitate;
Vt tui cupidum Crotoniatem
Ianum rhetora non malum, nec ipſo
Phœbi iudicio malum poetam

Ornes munere: non quod huic, & illi
Dant reges paraſito, & hiſtrioni:
Sed quod magnanimi, & viri benigni
Quos magnus fuit inter ille tantum
Mæcenas celebratus a poëtis,
Quò degant melius ſuam ſenectam,
Donant rhetoribusq;, vatibusq;.
Hoc facto tibi cælites habebis
Poſthac propitios: tuamq; Ianus
Suo carmine liberalitatem
In longiſſima ſecla prorogabit:
Et nos (vt decet) vſque, & vſque, & vsq;
Non paruas tibi gratias agemus.

AD VINCENTIVM CORNELIVM Hoſtunienſium Pontificem.

Corneli pater elegantiarum
Quis ferax tulit hortus, aut agellus
Tam dulces oleas? puer caueto
Picenas mihi præferas oliuas
His, aut prædia quas ferunt Venafri.
Num legit manibus ſuis Minerua?
Non in Alcinoi ſenis vireto,
Aut in collibus Atticis, bonisue
Hortis Heſperidum, ſed in beatis
Campis Elysijs locis piorum?

Terra vbi vario colore picta,
Fert dulcedine dulciora poma.
Non his perſimiles habent oliuas.
In menſis Saliaribus tyranni,
Has in delicijs, ſuisq; cœnis
Summi Pontifices habere vellent.
Hoc pro munere, mitibusq; baccis
Mittam verſiculos tibi trecentos,
Et ſemper tibi gratias habebo.

AD NEPTVNVM PRO XANTHO *Peluſio Fratre in patriam redeunte.*

NEptune vndiuomi maris,
Littorumq; ſonantium
Cuſtos, arbiter, & deus,
Te per marmora ponti
Oro, & Nereidum choros,
Ne qui ſedat, & excitat
Fluctus arbitrio ſuo.
Nimboſæ patriæ rex,
Euertat pelago ratem,
Quæ meum vehit ad ſuos
Fratrem plus oculis mihi
Carum. Sterne tridente.
Aequor, ſoſpes vt ad deos

Appellat patrios, fluit
Quà velatus arundine
Raucas Aeſar ad vndas:
Aut quà diua Lacinia
Paruum vergit ad oppidum
Quod contra Iliadum genus.
Struxit Annibal Afer.
Iam nũc per placidum ſalum
Germanum video vehi,
Et velis fluitantibus
Toruæ ſaxa Charybdis
Dextro numine dulcium
Tranſire Oceanitidum;
Formoſæ quibus apparant
Nymphæ dona Neæthi.
Iam iam plura ſodalibus
Caris oſcula diuidet,
Et de more iuuenculi
Aras ſanguine tinguent.
Quæcunque incolitis deæ
Empuſæ vmbriferum nemus
Miti cingite pampino
Veſtra tempora: veſter
Miles Trinacria redit
Veſtra ad myſtica: quæ ſitu
Sunt turpata: virentia
Vati ſerta parate,

Et dijs ſoluite debitas
Grates: ille ſub Arbuto
Ad curuā recinet lyrā,
Fortis facta Milonis,
Et vos tollet ad aurea
Verſu ſidera: nec feret
Fratris vnanimis liber
Blattas paſcat inertes.

AD MVTIVM PIGNATELLVM

Iuuenem eruditiſſimum.

INſulsiſſimus omnium poeta,
Et ſtultiſſimus omniū magiſter,
Dulceis Meuius ille, qui ſolebat
Odas in triuijs Horatianas,
Et libros Ciceronis explicare,
Ventoſum ſecat Adriā liburnis:
Vrbeis Euganeas; ineptiarum
Omnes (vt ſolet) impleat: ſuaq;
Fæda barbarie, infacetijsq;
Impubē Venetā imbuat cateruā.
Illum ſi Notus obruet procellis
In ſinu Illyrico, deis marinis
Opimū feriam bouē, quotannis:
Si pagris fuerit vel eſca mergis,
Imbellis cadet horridis ad aras:

Tempeſtatibus agna, vel capella
Tu flos interea iuuenculorum
Muti, qui potes amnium morari
Curſum dulcis amabili lepore
Linguæ ora p̄te, cōpotē benignus
Neptunus faciat tuum ſodalem.

AD ACADEMIAE PRAESIDEM.

PRæſes optime Menium rogamus
Inſulsum, fatuū, atque inelegantē
In oras abigas malas, priuſquam
Nugis illepidis, & infacetis
Omnes perdat, & enecet: cathedra
Eſt iam pondere rupta ineptiarum,
Et rimas paries agit; Sceleſto
Sint illi bona nulla, qui probauit
Orator malus & malus poëta
Hac ſi (Dijs placet) in ſchola libellos
Facundi Ciceronis explicaret.
Hinc ad Maſſagetas, trucesq; Dacos
Si illum amoueris improbū magiſtrū
Peſtem Romuleæ, Atticæq; linguæ,
Omnes vnanimes domi, foriſq;
Sexcentas tibi gratias agemus.

AD IVLIVM GAZELLAM
Caietanum de fonte Scypho.

Fons dulciſſime fontium, relictis
Vndis Bellerophontidos puellæ
Quem doctæ Aoniæ Leonis ora
Cũ feruent magis, et magis perurũt,
Cunctis anteferunt aquis: ferarum
Alcides domitor, tibi trinodi
Claua cum domuit malum latronem
Qui Lacinius a Crotoniatis
Dicebatur, & oppidis propinquis,
Nomen impoſuit Sciphi: quod ipſe
Potaret latices Thyonianos.
Scypho: iuſſit & ante quàm rediret
Ad Euryſthea peſſimum tyrannum,
Ad formam fieres Scyphi. puellam
Cum raptam ſibi quæreret per orbem
Ceres, ac fureret caloris æſtus,
Rore ſe gelido tuo calentem
Plus vna vice ſimplici leuauit:
Atque illinc abiens, tibi precata eſt
Curſum perpetuum, et nimis ſalubrẽ.
O fons dulcicule, & voluptuoſe
Ecquando egelidos tuos liquores
Cum meo vnanimi, & bono ſodali
Gazella lepidisſimo poeta,

Vino non ſine Cretico, & Falerno
Ebibam? ille dies vtrique noſtrum
Non rubra, aut viridi nota, ſed albis
Thracum more notabitur lapillis.

DE FONTE TVBVLO.

Egon te Tubule elegantiorum
Doctis verſibus, & laborioſis
Digne qui volites virûm per ora,
Ingratiſſimus omnium relinquam
Indictum, et tacitum? ſcelus nefandũ
Tantum non faciam: nouem ſorores
Quæ potant latices refrigeranteis,
Et fontes liquidos, meæ Camœnæ
Si quidquam poterunt, tuas tenebunt
Lymphas, fontibus omnibus relictis,
Quos Parnaſſus habet, iugũq; Pindi.
Tu quondam gelidos tuos liquores
Per cauos tubulos fluens, Crotoni
Atque eius populo dabas bibendos:
Erant & quoniam ſalubriores
Succis Pæoniјs, liquoribusq;
Qui nunc ex Puteo Bono trahuntur,
Gens fortiſſima Martis in cruento
Ludo, & clara nimis domi, foriſq;,
Noſtri ſemper erant Crotoniatæ

Sano corpore, mente Saniore.
Nunc te (cum venia, bonaq; pace
Hoc dico patriæ meæ) capellæ.
Oues, & vituli bibunt: tuisq;
Rigas prædia riuulis propinqua.
Ciues vnanimes mei, & potentes
Vos Peluſius orat, obſecratq;,
Per canalia longa, perq; ductus
Fontis tam placidi, vtilisq; Lymphas
Ducendas ſtatuatis ad ſalutem,
Et ad commoda multa Ciuitatis.

AD VALLEM
Empuſæ.

Vallis Empuſæ decorata tellus
Arborum fætu, variis, & vuis
Grata quæ præbent populo Crotonis
Vina quotannis
Per tuos Bacchus Iouis alma proles
Semper it campos viridi reuinctus
Pampino: diues ſequitur bonorum
Copia cornu.
Flore contexunt vario corollas
Candidæ Nymphæ, radiosq; vitant
Solis ardenteis Salicum ſub vmbra,
Ad caput vndæ:
Hic deæ fretæ auxilio Dianæ

Turgidas Lyncas ferientis arcu,
Nil timent Faunos ſolitos puellis
Inſidiari.
O mihi diuæ fugere ad receſſum
Si annuant veſtrum ſuperi benigni,
Et frui tectis liceat paternis,
Quæ mihi vita
Eſſet & felix, nimis & beata,
Vos mei dulces miſereſcite oro
Atque me tandem miſerum Crotoni
Reddite Muſæ.

IN OBITVM FRANCISCI Sancij Abbatis.

AGanippides puellæ,
Quæ crinibus ſolutis
Ad Sancij ſepulchrum
Violas, roſasq; fertis,
De lacrymis lauacrum
Veſtris parate, veſtri
Lauentur vt miniſtri
Cineres, & oſſa: Vosq;
Sebethides Camænæ
Quæ tollitis viciſſim

Querimonias ad aſtra,
Floram rogate, Veris
Sint ſemper hîc honores.

IN QVENDAM

Quidam Charonte turpior,
Noſtriq; ſecli infamia,
Qui voce vincit Stentora,
Omnesq; auaros ſordibus,
Ipſis ab incunabulis
Tum cantharus, tum vipera,
Pecunia, & faſtu tumens,
Spernit poëtas, Virginum
Quos inſerit Phœbus choro.
Quid hîc moratur amplius
Vini Falerni ſpongia?
Natusq; fruges perdere?
Ad Ditis atri regiam,
Orcumq; et horridum Chaos
Faceſſat in malam crucem.
In hunc ſceleſtum, et impium
Ceraq; dignum Cærite,
Suos Iambos, & ſua
Stringant poëtæ ſpicula?
Non ſperet hoc nequiſſimus.

AD FRANCISCVM SANGRIVM
Turris Maioris Marchionem.

Docte tuum nobis liquiſti Marchio vatem,
Dum cupis imperij viſere regna tui:
Multa vorans, & multa bibens, tuus iſte pöeta
Exhaurit loculos funditus ære meos:
Non epulas, et vina petit, quibus vtor, amicos
Cum ſoleo dulces accipere ante focum:
Sed pingues turdos, & parui temporis apros,
Et quæ ferre ſolet vina Falernus ager:
Mitte tuo vati condita obſonia: ſumptus
Non mea tam grandes ferre crumena poteſt.

IAIMVS SANCIVS AD IANVM
Peluſium præceptorem ſuum.

Quot eſtis Critici, quot & Theones
Qui nihil facitis, ſed ocioſi
Libellos iugulatis hos, & illos,
Aut has dum legitis bonas Camænas,
Vatis egregij Crotoniatæ,
Veſtram peſtiferam abſtinete linguam:
Aut hinc præcipites tenebriones
Ni vultis rabiem experiri Iambi,
Mei docti, & amabilis magiſtri,
Antrum ad Barbariæ redite veſtrum:

IANVS PELVSIVS

CROTONIATA.

LECTORI. S. P. D.

HABES bene literate Lector noſtri ingenioli luſus, qui nobis adoleſcentib. ac potius pueris excidêre. Paucis abhinc diebus (Muſis adiuuantibus) criminationem in Cantharam aniculam leges. Quam quidem non parum vereor, ne dicendo minorem reddam, quàm ſi tacerem: quod ſilentio neque creſcere eius poteſt improbitas neque decreſcere, cum integra tractanda reſeruetur: verbis contra (licet in idea Platonis toti infixi ſimus) plerunque tamen ea quæ mente concepimus, (vt volumus) non exprimuntur. Sed quando hæc mala muliercula in eum cui ſuam pudicitiam acceptam referre debet, longe peiora grauioraq; quàm Sthenobæa olim in Bellerophontem, Phædraq; in Hippolytum confinxit, & nos admodum vtile eſſe putamus, eius nequitiam cognoſci: vt cognita vitari poßit, pro virili parte operam dabimus, vt ſuis coloribus ita depingatur: vt eam omnes

ſacilè cognoſcant. Sumus etiam edituri in lucem apologiam pro Calabris, quòd ignoro certe quo malo ſuo fato miſeri apud nationes neſcio quas male audiant: in qua faxim intelligant maleuoli iſti homines qui nulla habita noſtræ dignitatis ratione, eos abſenteis indicta cauſa, tam iniuſtæ ignominiæ condemnant: perpaucas eſſe gentes, quæ bonarum literarum præſtantia, ingeniorum prouentu, atque omni virtutum genere cum Calabris poßit comparari: nullamq; eſſe in toto orbe terrarum prouinciam, cui Calabria cæli clementia, agrorum vbertate, & multitudine earum rerum, quas vbique Terra creat, longo interuallo non antecellat. Idq; nos non fictis rationibus, aut leuibus argumentis, ſed veterum auctorum teſtimonijs facile comprobabimus. Nec mirere amabò te amice lector, ſi eam regionem in qua ego, meiq; omnes aui, atauiq; nati ſunt, ſummo ſtudio, acriq; contentione defendendam ſuſcipiam. Hoc enim facio, & ne officij ac pietatis neglectæ nota mihi meritò inuratur, & Calabros meos a tanta calumnia vindicem. Qui ſi cuipiam mali videntur, eius rei cauſa eſt, quòd qui eorum opera vtuntur, imperare neſciunt, et Calabri molliorib. verbis, & blandicijs, non minis et ſuperbo imperitantium vultu

capiũtur: neque enim libẽter obſequiũ præſtamus ijs, qui cũ imperitãt: imperioſè imperitãt. Hæc pauca nullã aliã ob cauſã dicere volui, niſi vt cognoſcerent imperioſi domini, qui ab hominibus mercede conductis adorari, non honorari volunt, longè infirmius eſſe imperium, vi quod fit, quàm quod beneuolentia adiungitur: nihilq; eſſe in vita difficilius, quàm ſe ipſum noſcere, & bene imperare. Quod ipſum ex Claudijs, Vitellijs, Caligulis, Neronibus, Heliogabalis, Maximinis, atque Commodis facillimè quiuis intelligit. Vale.

GABRIEL SANCIVS AD IANVM
Peluſium præceptorem ſuum.

NEptuni imperium licet
Perturbet Boreas aſper, & imbrium
E cælo rabies ruat,
Peluſi patriæ præſidium tuæ,
Noſtri & gloria ſeculi,
Nauis quæ regitur conſilio tuo,
Ventorum, & pelagi truces
In portum veniet, nil metuens minas.

IO. FRANCISCVS LOMBARDVS de Iani Peluſij poëmatis

Si quis non norit ſcribendi carminis artem,
Peluſi vatis carmina culta legat.
Carmina quæ docti ſuperant monimenta Catulli,
Ignes atque viri, quem tulit Vmber ager.
Aetia Callimachi, Coique poëma Philetæ,
Cedit & huic etiam Muſa Tibulle tua.
Vt taceam Galli, Flacci, & Naſonis amores,
Quosq; nouem vates concinuere lyra.
Hic eſt ille bifrons Ianus, quem Muſa pedeſtri
Ornauit numero, Pierijsq; modis.
Vtq; vno expediam verbo, hic hic ille poëta eſt,
Auſpice qui Phœbo carmina docta facit.

AD IVLIVM AQVIVIVM utriusq; iuris peritiſſimum, & Pij Q. Pont. Max. Cubicularium.

Cultor Pieridum nouem ſororum
Aquiuiue, puer modos, & artes
Qui illarum didiciſti, & audienda
Doctis auribus eruditiorum
Fundis carmina dulciora melle,
Oro te per Apollinem comatum,
Et per Pontificem Pium, carinam
Qui Petri moderatur arte tanta,
Tantoq; ordine, vt orbis obſtupeſcat,
Feras auxilium meo libello,
Qui nullis decoratus vmbilicis,
Inuito domino, ſuo patrono,
Audet iudicium ſubire vulgi,
Ne Momis, Criticisq;, Zoilisq;
Coniurantibus in meam ruinam,
Et malum, intereat miser, prius quàm
In lucem veniat. negabit æuum
Si illi Calliope perenne: forsan
Tuo præſidio, & tuo fauore,
Non temnetur ab optimis poëtis.

ERRATA
in cohortatione

Pagina 2 Eedem Eadem) pagina 5 cum eum) pagina 6 Porceres Proceres) pag. 8 ſcæna ſcena) pag. 8 ſpectane ſpectant) pag. 9 totto toto) pag. 9 auc aut) pag. 10 antropophagi anthropophagi) pag. 10 & ſi etſi) pag. 11 Cæſariam Cæſaream) pag. 18 Scytarum Scytharum) pag. 20 Schytarum Scytharum) pag. 23 ed et) pag. 24 ferociſſima feraciſſima) pag. 29 defenditis deſeritis) pag. 42 intulerabilis intolerabilis) pag. 42 foſpite ſoſpite) pag. 44 coboreas choreas) pag. 44 Gratia Grata) pag. 45 peetate pietate) pag. 46 Schytas Scythas.

In luſuum libris errata.

Pagina 4 acccipias accipias) pagina 11 ſtrauerti ſtrauerit) pag. 14 hiuc hinc) pag. 22 memus nemus) pag. 23 queti quieti) pag. 23 candiſſime candidiſſime pag. 25 Venresq; Veneresq;) pag. 26 Cu Cum) pag. 28 quonda quondam) pag. 33 longiquum longinquum) pag. 41 petij petijt) pag. 41 abire abiere) 43 puer puer: puer i puer) pag. 43 prompiius promptius) pag. 46 Briandeb Briandæ) pag. 46 Bracatij Brancatij) pag. 50 blacta blatta) pag. 53 Fædem Eædem) pag.

53 berui breui) pag. 53 cādiduis candidius pag. 55 Tyadaridæ Tyndaridæ) pag. 55 nega negauit) pag. 56 pëotam poetam) pag. 63 Mineruis Minerua) pag. 64 eum cum) pag. 64 Turis Turris) pag. 64 Machionem Marchionem) pag. 68 Heuh Heu) pag. 68 calathiſos calathiscos) pag. 70 Vlyxes Vlyſſes) pag. 73 tira tiara) pag. 82 ferera ferrea) pag. 85 primum pinum) pag. 88 illi ille)


AL IO RA PE
OBILIORA